CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/adcodicemjvrisca0002vari_f0r6

AD

CODICEM IVRIS CANONICI

BENEDICTI XV PONT. MAX.

AVCTORITATE PROMVLGATVM

COMMENTARIA MINORA

COMPARATIVA METHODO DIGESTA

CONCINNAVIT

DOCT. ALBERTVS TOSO

ECCL. CATHEDR. OPPIDEN.

CANONICVS

LIBER II. DE PERSONIS

TOMVS II.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

« Justitiam namque colimus, boni
et aequi notitiam profitemur »
ULP.



EPHEMERIDIS

IVS PONTIFICIVM

CVRA ET IMPENSIS

ROMAE

MCMXXIII

28701

IMPRIMATUR.

Romae, 1 ianuar. 1923

Fr. Albertus Lepidi, S. Pal. Ap. Magister.

IMPRIMATUR.

Romae, 1 ianuar. 1923

† *Josephus Palica*, Ep. tit. Philippen. Vicesgerens.

Romae — Ex Officinis Poligraphicis — MCMXXIII.

DE PERSONIS

TOMUS II

SECTIO II.

DE CLERICIS IN SPECIE.

Can. 215.

§ 1. *Unius supremae ecclesiasticae potestatis est provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel praelaturas « nullius », vicariatus apostolicos, praefecturas apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere.*

§ 2. *In iure nomine dioecesis venit quoque abbatia vel praelatura « nullius » ; et nomine Episcopi, Abbas vel Praelatus « nullius », nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet.*

1. Hactenus Legislator egit de iuribus atque obligationibus communibus clericorum ; modo vero de obligationibus ac iuribus, quae cuique gradui propria sunt, agere instituit. Nimirum, ex voluntate Christi, est inter clericos sacra hierarchia, qua alii aliis subordinantur (can. 108, § 2). Et quidem ex divina institutione sacra Ecclesiae hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato ; ex Ecclesiae vero institutione alii quoque gradus, tum iurisdictionis tum ordinis, accessere (ibid., § 3). Praetermissis igitur gradibus, qui defluunt ex potestate ordinis, hac sectione Legislator agit potissimum de gradibus, qui defluunt ex iurisdictionis potestate. Iam vero, huiusmodi potestas ex duplici capite circumscribi potest : in seipsa et in subditis. In seipsa circumscribitur obiecto suo, quod si praetergrediatur, nihil agit, quodque est, pro clerici gradu, maioris minorisve amplitudinis ; in subditis circumscribitur, cum in quos exercenda sit definitur. Et id quoque rursus duobus modis fieri potest : vel enim potestas ita tribuitur, ut subditorum personam quocumque sequatur, diciturque iurisdictio personalis ; vel ita adstringitur certo territorio, ut extra illud subditus impune non pareat : nempe extat iurisdictionis genus, quae, praeterquam quod obiecto suo, territorio quoque finitur, ideoque territorialis dicitur et personam subditorum per territorium attingit. Oportebat igitur et de territorii ecclesiastici circumscriptionibus loqui ; idque Legislator facit tribus canonibus his praeliminaribus.

2. *Unius supremae*, etc. — Potestas iurisdictionis, a Christo D. Ecclesiae collata, territorium quod attinet, his verbis continetur : *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* (Marc. XVI, 15). Et revera principio nulla extitit, proprie loquendo, circumscriptio territorialis : sed neque tum ratio exercendae ecclesiasticae iurisdictionis id postulabat. Nostra hac aetate duplex est territorii ecclesiastici circumscriptio : alia maior est, alia minor. Illa nationum vel etiam coloniarum (veluti ex. c. Indiarum Imperium aut Dominium Canadense), itemque provinciarum ecclesiasticarum, dioeceseon et quasi-dioeceseon, abbatiarum ac praelaturarum *nullius*, vicariatuum ac praefecturarum apostolicarum territoria complectitur ; haec vicariatus foraneos, paroecias et quasi-paroecias, quibus dioecesis et quasi-dioecesis, tanquam partibus, constat. Verum, de Nationum coloniarumque circumscriptionibus, nihil in canone, quamvis et his territoriis magistratus ecclesiasticus, nempe Nuntius vel Delegatus apostolicus, plerumque praesit cum potestate ordinaria (can. 267, § 1, n. 2 et § 2) ; idque ea fortasse de causa, quod huiusmodi magistratus quodammodo extra ordinem mittantur et ideo non sint perpetuae hae amplissimae circumscriptiones. Utcumque, maiores circumscriptiones peragere, dividere, unire, supprimere unius est supremae ecclesiasticae potestatis, idest Ap. Sedis, cuius potestas nullis finibus territorialibus coarctatur (cfr. comm. ad can. 218, n. 2).

3. *In iure nomine dioecesis*, etc. — Quae in Codice nostro de dioecesibus constituuntur, de abbatiis quoque et praelaturis *nullius*, minime vero de vicariatibus ac praefecturis apostolicis, quae reguntur iure quodam peculiari, intelligenda sunt : sunt namque illae ratione iurisdictionis pares. Eodemque modo Abbas ac Praelatus *nullius*, cum eadem sit utrobique potestas iurisdictionis, Episcopo residentiali iure aequiparantur, nisi ex natura rei, veluti cum agitur de exercitio potestatis ordinis, vel ex contextu verborum legum aliud constet.

CAN. 216.

§ 1. *Territorium cuiuslibet dioecesis dividatur in distinctas partes territoriales ; unicuique, autem parti sua peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignanda, suusque peculiaris rector, tanquam proprius eiusdem pastor, est praeficiendus pro necessaria animarum cura.*

§ 2. *Pari modo vicariatus apostolicus et praefectura apostolica, ubi commode fieri potest, dividantur.*

§ 3. *Partes dioecesis de quibus in* § 1, *sunt paroeciae ; partes vicariatus apostolici ac praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, appellantur quasi-paroeciae.*

§ 4. *Non possunt sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio*

degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales ; ad constitutas. autem quod attinet, nihil innovandum inconsulta Apostolica Sede.

1. *Territorium cuiuslibet dioecesis* etc. — Hic canon cum subsequente minores territorii ecclesiastici circumscriptiones respicit. Et primum Episcopis inconditionate praecipitur, ut dioeceses sibi commissas in distinctas partes dividant ; eodemque modo, hac tamen conditione quod commode fieri possit, id praecipitur Vicariis ac Praefectis apostolicis. Partes huiusmodi, paroeciae vel quasi-paroeciae nuncupantur. Estne igitur et territorium ex elementis, quibus, tanquam substantialibus, paroecia et quasi-paroecia constituuntur? Videntur paroecia et quasi-paroecia, ex analogia dioecesis et quasi-dioecesis, ex certo numero fidelium consistere, in quos certus item sacerdos, iure proprio et ordinario, curam animarum exercet. Ideoque territorium neque ad dioecesis aut quasi-dioecesis, neque ad paroeciae aut quasi-paroeciae substantiam pertinet : quare, sicut dioeceses, ita et paroeciae personales, idest sine certis finibus territorialibus, extare possunt. Et revera canon loquitur (cfr. § 4) de paroeciis familiaribus, imo personalibus, idest ad personam constitutis, deque iis, quae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium constituuntur.

2. *Non possunt sine speciali* etc. — In regionibus praesertim, ad quas opifices, patria relicta, undique emigrant, veluti ex. c. in Statibus foederatis Americae septentrionalis, ut facilior redderetur cura animarum, paroeciae pro diversitate sermonis aut nationis saepe constitutae sunt; sicut etiam interdum paroeciae familiares, imo etiam personales. Huiusmodi deinceps paroeciae, sine Ap. Sedis beneplacito, constitui non possunt : quare videtur inesse legi vis actum contrarium irritandi (cfr. can. 11).

CAN. 217.

§ 1. *Episcopus territorium suum in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes, distribuat, qui veniunt nomine « vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus », etc.*

§ 2. *Si haec distributio, ratione circumstantiarum, videatur impossibilis aut inopportuna, Episcopus consulat Sanctam Sedem, nisi ab eadem iam fuerit provisum.*

Canon prolixa explicatione non indiget. Ex eius praescripto tenentur Episcopi residentiales aut eiusmodi circumscriptiones peragere aut rationes, ob quas id minus opportunum vel impossibile existimaverint, Ap. Sedi deferre: est namque haec haud parvi momenti quaestio, cum multa ex iure communi praestare debeant Vicarii foranei, maxime quoad cleri disciplinam (cfr. can. 445-450).

TITULUS VII.

DE SUPREMA POTESTATE DEQUE IIS QUI EIUSDEM SUNT ECCLESIASTICO IURE PARTICIPES.

Haud inconsiderate haec sectio libri secundi in duos titulos parallelos divisa est, quorum primus inscribitur *de suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes*, alter vero *de potestate episcopali deque iis qui de eadem participant :* ex iure namque divino sacra Ecclesiae hierarchia ratione iurisdictionis pontificatu supremo et episcopatu subordinato constat ; ratione vero ordinis Episcopis, presbyteris, ministris ; denique aliis quoque gradibus, tum ordinis tum iurisdictionis ex iure ecclesiastico (can. 108, § 3). Unde, ex duplici subiecto divinitus constituto hierarchiae iurisdictionis, titulus duplex : et cum nullus clericus proprie sit ex divina institutione supremae potestatis particeps, Legislator ait : *deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes ;* cum vero et presbyteri et diaconi divino iure habendi sint tanquam adiutores Episcoporum, inde Legislator in altero titulo de ecclesiastico iure non loquitur.

Itaque hoc in titulo primo agitur de Romano Pontifice, deinde de iis, qui potestatem pontificiam participant ecclesiastico iure, nempe: de Concilio oecumenico, quod, uti postea videbimus (cfr. comm. ad can. 222, n. 2), non quidem iure divino sed humano convocatur ; de S. R. E. Cardinalibus ; de Curia Romana ; de Legatis R. Pontificis ; de Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, qua talibus ; de Conciliis plenariis et provincialibus, qua concilia sunt ; de Vicariis, Praefectis, Administratoribus apostolicis ; denique de inferioribus praelatis iurisdictionem episcopalem habentibus.

CAPUT I.

DE ROMANO PONTIFICE.

Can. 218.

§ 1. *Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.*

§ 2. *Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens.*

1. Hoc et tribus canonibus, qui subsequuntur, tradit Legislator noster quanta sit Romani Pontificiis potestas et quomodo haec acquiratur, exerceatur, extinguatur. *Romanus Pontifex* etc. — Est hic canon dogmaticus (1) maximi momenti, cum summa principia exhibeat ecclesiasticae constitutionis. Itaque Romanus Pontifex, idest Episcopus Urbis, B. Petro in primatu succedit. Etenim, uti monumenta omnia universaque traditio testantur, anno circiter 42 B. Petrus ad Urbem venit, romani Imperii caput, ibique summi pontificatus sedem collocavit. Quare non immerito Ignatius M. († a. 107) scribit (Ep. *ad Romanos*, proëm.), romanam Ecclesiam *universo caritatis coetui praesidere*. Est igitur primatus praerogativa, per factum B. Petri, romanae Sedi coniuncta ; idque sine ullo dubio, sine exceptione, sine controversia, universa antiquitas tenuit.

2. *Habet non solum primatum honoris*, etc. — Quaenam huius primatus natura ? Siquidem, contra unanimem sententiam antiquorum, non defuerunt postea, qui existimarent, coarctari primatum Romanorum Pontificum ad quandam praeeminentiam honoris atque dignitatis. Ita plus minusve Orientales schismatici, Gallicani, Richeriani, Febroniani, Iansenistae, Eybelii sectatores, qui omnes sunt in primatu R. Pontificis deprimendo. Pertinet igitur ad substantiam primatus R. Pontificis potestas iurisdictionis et haec suprema est atque plena in Ecclesiam universam. Et primum hic agitur de potestate iurisdictionis. Nimirum, uti pluries diximus, est in Ecclesia potestas publica duplex: iurisdictionis atque ordinis. Potestas ordinis eadem est in Romano Pontifice atque in Episcopis. Quod, si ordines quosdam (cfr. Toso, *Ad Codicem comment.*, vol. II, comm. ad can. 107, n. 3) ex ecclesiastica institutione introductos, Romanus Pontifex supprimere potest, aut alios instituere, aut in eorundem obligationibus dispensare, imo et characterem per ipsos ex voluntate Ecclesiae impressum, absolute loquendo, tollere, id non per potestatem ordinis sed iurisdictionis fit. Itaque tota ratio primatus Romani Pontificis in potestate iurisdictionis consistit, quam praeeminentia honoris naturaliter consequitur. Et, cum haec iurisdictionis potestas, neque ullo limite territoriali contineatur, extra quem subditi possint impune non parere, neque

---

(1) Conc. Vatic. (sess. IV, cap. 2): *Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, a. s.* — Et cap. 3: *Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantum officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, a. s.*

proprie extendatur ad universum orbem, sed tantum *ad Ecclesiam universam* (non enim adhuc impleta est Christi D. N. promissio: *Fiet unum ovile et unus pastor* — Io. X, 16), iurisdictio R. Pontificis tanquam personalis habenda est. — Deinde, uti canon ait, R. Pontificis iurisdictio et suprema est et plena. Suprema est, cum neque superiorem habeat, neque aequalem: ait namque Christus D. (Matth. XIV, 18): *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Scilicet R. Pontifex, eo plane modo quo in aedificio fundamentum, Ecclesiae universam compaginem sustentat. Plena est: cum enim sit constitutio Ecclesiae pure monarchica, id omne Romanus Pontifex agere potest, quod potest in Ecclesia fieri, dum ceterae personae ecclesiasticae contra eius voluntatem valide aut saltem licite agere non possunt. Itaque videamus, quibus limitibus haec potestas circumscribatur. Et profecto primo circumscribitur a superiore potestate eiusque legibus, nempe a iure divino tum naturali tum positivo, contra quod nihil agere, neve in eo quidquam Romanus Pontifex dispensare potest. Quod si Ap. Sedes in voto, iureiurando, matrimonio rato dispensat, id non ex eo contingit, quod vis divinae legis in casu peculiari suspendatur, sed ex eo quod supremus Princeps, qui, publica utilitate postulante, vitae quoque iacturam praecipere subditis potest, potest etiam obligationem legitime susceptam solvere aut commutare: idque nedum ad publicum bonum, verum etiam ad bonum privatum tantum, si nemini iniuria fiat; et quidem, iusta causa intercedente, valide et licite, quaecumque sit lex, sive humana sive divina, qua actus humanae voluntatis firmitatem acceperit, dummodo tamen actus materia ad eius competentiam pertineat; sine causa vero, valide quidem, sed illicite, quoad legem humanam a se legitime latam, illicite et invalide quoad superiorem legem (cfr. Suarez, *De legibus* lib. II c. 14, n. 7, 11, 19, 25). Nimirum hisce in casibus, non lex divina suspenditur, in quo proprie dispensatio consistit, sed tollitur aut commutatur obligatio, ab humana voluntate sponte suscepta: tum vero ex seipsa tenere cessat divina lex. Breviter negotium huiusmodi — uti consueto mentis acumine Suarez ait (ibid.) — res facti est, non iuris. Ceterum ius divinum, cum immediate et nullo facto humano intercedente tenet, a nulla humana potestate dispensari potest. Restat ius humanum. Sed huius quoque intra limites iuris, potestas Romani Pontificis non est absoluta: circumscribitur namque per eiusdem iuris obiectum. Quod duplex est: felicitas hominum temporalis, et salus aeterna animarum: illa civili, haec ecclesiasticae potestati iure divino concredita est. Et sicut potestas civilis de re ad Ecclesiae competentiam spectante decernens, nihil agit, ita irritus est actus R. Pontificis in causa ad civilem potestatem pertinente, nisi egerit ex iure extraordinario sibi legitime quaesito, aut causa civilis, natura sua vel positivo iure, sive divino sive humano, cum ecclesiastica inseparabiliter coniuncta fuerit. Hinc potest R. Pontifex et Ecclesiae statum ac libertatem modis omnibus, quibus

id licet, defendere, et leges civiles, iuri ecclesiastico infensas, irritas declarare : siquidem, in casu conflictus, ea potestas vincere debet, quae maior est, cuiusque finis est altior. Sed tandem ne intra hos quidem limites potestas R. Pontificis salva consistit : non enim haec in omnes homines indiscriminatim exerceri potest, sed tantum in baptizatos, nam baptismate constituitur homo in Ecclesia Christi persona (can. 87) ; qui vero personalitate ecclesiastica carent, *foris sunt*, eosque, ut D. Paulus ait, *Deus iudicabit* (I *ad Corinth.* V, 12-13). Intra hos limites, R. Pontifex omnia potest, ac in foro externo, si ita loqui fas est,

stat pro ratione voluntas.

In foro externo : nam ne Romanus quidem Pontifex potestatem iudicialem in proprium commodum exercere potest (cfr. can. 201, § 2). Cum igitur huic potestati ex iure divino subiicitur, nempe in foro sacramentali, sicut et ceteri fideles iudicem adire debet. Quem tamen sponte adit. At in foro externo, etiamsi dubitetur, num R. Pontifex limites, quos supra descripsimus, excesserit, *prima Sedes a nemine iudicatur* (can. 1556), neque ab ecclesiastico (cfr. can. 222-229) neque a civili tribunali, quaecumque sit causa, sive ecclesiastica sive civilis : non enim is potest ad humanum tribunal trahi, cui *claves regni coelorum* traditae sunt, quique proinde in terris neque superiorem agnoscit neque parem. Est itaque, uti canon ait, potestas R. Pontificis et suprema et plena, ipsique competit antonomastice ratio *Principis*. Sed neque praetermittentum est, quod S. R. Rota (*in Recentior.* decis. 217 n. 153 p. 9 t. I) gravioribus verbis animadvertit : *Princeps, licet sit solutus legibus* (nempe suis aut inferiorum legislatorum) *legibus tamen vivit.*

3. Sequitur : *Haec potestas est vere episcopalis* etc. - Est episcopalis: idest, non solum continet ius invigilandi ac regendi Ecclesiam doctrinali quadam mentium illustratione, aut adhortatione vel consilio, sed potissimum ius praecipiendi, praeceptis, inquam, quae moralem ac iuridicam obligationem pariant, et quidem firmissimam, cui nempe nulla alia humana potestas resistere possit. Est potestas ordinaria : scilicet quae, non solummodo exerceri possit extra ordinem, videlicet cum suppleri oporteat quorumlibet inferiorum Ordinariorum negligentia aut cum Ecclesiae periculum impendet, verum ea quoque, quae, utpote officio iure divino adnexa (cfr. can. 197, § 1), semper potest omnimode exerceri. Est potestas immediata: idest, non tantum ex eo, quod R. Pontifex a Deo directe, minime vero mediante Ecclesia, eam accipit (cfr. can. 109), sed etiam ex eo, quod in omnes et singulas ecclesias atque in omnes et singulos pastores ac fideles exercere potest, nullo mediatore interiecto. *Tantum autem abest*, ait Conc. Vaticanum (sess. IV, cap. 3), *ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdi-*

ctionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni : « Meus honor est honor universalis Ecclesiae ; meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur ». Cumque, uti diximus, R. Pontifex neque superiorem neque parem habeat, sequitur eius quoque potestatem a nulla humana auctoritate pendere.

Can. 219.

Romanus Pontifex, legitime electus, statim ab acceptata electione, obtinet, iure divino, plenam supremae iurisdictionis potestatem.

1. *Romanus Pontifex legitime electus* etc. — Cum iure divino definitus non sit modus, quo quis ad supremum pontificatum eveheretur, ex Romanorum Pontificum voluntate, potestas pontificia per legitimam electionem acquiritur. Haec vero non eodem semper modo peracta est. In Ecclesiae primordis forma electionis popularis erat (1), perinde ac ceterorum Episcoporum occidentalium. Nimirum, ut ait Wernz (*Jus decret.* II, 570), *successor S. Petri a Clero Romano, adscitis vicinis Episcopis, populo praesente et testimonio suo dignitatem electi comprobante*, constituebatur. Pace Ecclesiae restituta, romani Imperatores primum, deinde vero Germanici, itemque dirae Urbis factiones, haud parum libertatem electionis minuerunt. Quare, Alexander Pp. III in Conc. Lateranensi III (a. 1179), primus tandem decrevit, ad electionem Romani Pontificis duas tertias partes suffragiorum Cardinalium praesentium et requiri et sufficere (2) : quibus verbis, saltem iure tenus, de periculosis

---

(1) Ad rem Cyprianus M. (epist. 55) de electione Cornelii Pp. (a. 252) scribens: *Factus est episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas et laudabiles et testimonio suae praedicationis illustres de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc adfuit, suffragio et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio; cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret.*

(2) Ait Pontifex (c. 6 X *de electione* etc. I, 6): *Statuimus ergo, ut, si forte, inimico homine superseminante zizaniam, inter cardinales de substituendo summo Pontifice non poterit esse plena concordia, et duabus partibus concordantibus pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium praesumpserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit et receptus.*

intrusionibus actum est. Qui postea modus perfectus ac perpolitus est a recentioribus Pontificibus. Iure vero nunc vigente, R. Pontificis electio unice regitur Pii Pp. X const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 (can. 160). Unice : idest ius universum mere ecclesiasticum, quo, praeterquam iure divino, regitur electio Pontificum Romanorum, hac constitutione continetur ; unde, quod neque explicite neque implicite continetur in huiusmodi constitutione, abrogatum censendum est. Utroque igitur iure considerato, ut quis valide in R. Pontificem eligi possit, oportet sit vir ; eo rationis usu praeditus, qui ad tantum munus exercendum sit sufficiens ; demum baptizatus ac genuinum Ecclesiae membrum. Uti vero quis licite possit eligi, oportet ea praestet scientia, agendorum prudentia morumque integritate, quas expostulat officium pontificale. Electio vero ipsa tribus modis perfici potest, videlicet vel extra ordinem per quasi inspirationem, vel per compromissum aut scrutinium. Scrutinio adhibito, duae tertiae partes suffragiorum, dempto electi suffragio (cfr. can. 170), Cardinalium praesentium requiruntur et sufficiunt. At peracta electio nullius roboris est, nisi accedat electi consensus; quo praestito, facto ipso iureque divino obtinet electus plenam iurisdictionis potestatem.

2. Sed quid de vexata quaestione, an possit Pontifex successorem suum nominare, scilicet cum omnibus iuridicis effectibus et sublata ceteris eligendi facultate ? Multa sunt hac de re disputata ac etiam nonnulla allata exempla Romanorum Pontificum, qui successorem nominaverunt. Posse, valide ac licite, affirmant ex veteribus Decius († a. 1536), qui primus videtur hanc sententiam protulisse, Victoria, Ledesma, Mendoza, Suarez, Vasquez, Bonacina atque alii; ex recentioribus Wernz. His adsentimur, ea praesertim de causa, quod, silente iure divino, totum negotium in potestate est R. Pontificis. Et revera duo tantummodo sunt modi, quibus novi Pontificis personam designari potest: aut successoris nominatio per viventem Pontificem facta, aut eiusdem electio, post Pontificis obitum peragenda, at ea profecto forma, quam R. Pontifex vivens statuerit, vel antea statutam ratam habuerit ; tertius modus non datur. Itaque, cum sit hac in re, iure divino silente, potestas R. Pontificis absoluta, quid refert, primo an altero modo successor designetur, cum utrobique, nonnisi iuxta voluntatem regnantis Pontificis designari oporteat ? Hanc vero extrinsecam potestatem sola intrinseca rei absurditas elidere posset. At nulla rei absurditas est. Etenim, omnia per mortem iura solvi, id verum est de iuribus, quibus quis vivens usus non fuerit, non autem de iuribus, quae, cum quis sit legitime ac tempestive usus, morte intercedente plene iam effectum suum sortita sunt. Hinc et iure civili permittitur testamenti factio, imo testamentum nullum effectum iuridicum habet, nisi a momento, quo mors omnia testatoris iura dissolvit. Quod vero R. Pontifex hoc suo iure successorem designandi, uti possit tantum in casibus extraordinariis, exceptio est, quae practice evanescit:

nam iudicium ferre de rerum adiunctis in re tam gravi, nonnisi ad R. Pontificem proculdubio spectat. Itaque, quod consuetudo, longissimi temporis quasi-praescriptione firmata, successorem non designandi, opportunior habenda sit, libenter damus ; quod vero R. Pontifex potestate huiusmodi destitutus sit, negandum esse videtur.

Can. 220.

Gravioris momenti negotia quae uni Romano Pontifici reservantur sive natura sua, sive positiva lege, « causae maiores » appellantur.

1. Suprema ac plena R. Pontificis potestas, est ecquidem universalis, sed non sola : nam est quoque in Ecclesia iure divino potestas iurisdictionis Episcoporum (cfr. can. 108, § 3), hoc nempe sensu, quod praeter supremam et immediatam R. Pontificis potestatem, extet in eosdem subditos, et ipsa immediata, sed subordinata, potestas episcopalis. Idque facile intelligitur, cum optimo iure possit quis esse duobus immediate subiectus, dummodo utraque potestas suprema non fuerit; vel, si utraque suprema (ut contingit in R. Pontifice et societatis civilis supremis moderatoribus), tamen non in eodem ordine. Ut igitur duplex haec potestas iurisdictionis rite exerceatur, negotia ecclesiastica in duplex genus iure distinguuntur : alia enim *causarum maiorum*, alia *minorum causarum* nomine veniunt.

2. *Gravioris momenti negotia*, etc. — Causae ecclesiasticae maiores esse possunt aut natura sua, aut lege positiva. Natura sua maiores sunt causae, quae, in se consideratae, extra Concilium oecumenicum (cfr. can. 228, § 1), nonnisi a R. Pontifice expediri possunt, etiamsi Pontifex positiva lege sibi non reservaverit. Huiusmodi autem sunt in genere causae omnes, quae Ecclesiae universae utilitatem respiciunt. In specie vero causae natura sua maiores sunt, quae pertinent ad Ecclesiae unitatem doctrinalem, legislativam, administrativam, iudicialem, poenalem; praeterea ad unitatem divini cultus. Sunt maiores positiva lege causae omnes, quae, quamvis ad bonum universae Ecclesiae non spectent, tamen passim in Codice R. Pontifex sibi reservavit, vel quae in posterum ei placebit, ob commune bonum, inferiorum Ordinariorum potestati subtrahere. Hae igitur causae maiores ; quae vero nullo modo R. Pontifici reservatae sunt, minores dicuntur.

Can. 221.

Si contingat ut Romanus Pontifex renuntiet, ad eiusdem renuntiationis validitatem non est necessaria Cardinalium aliorumve acceptatio.

1. Potestas R. Pontificis cessare potest aut voluntarie, aut sine eius voluntate. Involuntarie cessat, praeterquam quod per mortem, si in

amentiam inciderit, quae et certa sit et insanabilis. Voluntarie vero cessat in primis, si lapsus fuerit in haeresim notoriam, qua utique desinit esse Ecclesiae membrum ; utrobique enim conditio Pontificis, iuridicae morti aequiparatur : illic quidem ratione naturae, hic fidei. Potest namque, absolute loquendo, R. Pontifex, uti doctor privatus, in haeresim cadere : siquidem, non homini, sed Pontifici *ex cathedra* loquentis, divinitus collata est praerogativa infallibilitatis. Tum vero, ut Innocentius Pp. III ait (serm. IV *in cons. Pontif.*), *potest ab hominibus iudicari vel potius iudicatus ostendi, si videlicet evanescit in haeresim ; quoniam qui non credit iam iudicatus est.* Scilicet, iure divino (utroque casu) officio decidit, et rei publicatio ab Ecclesia facta, non depositionis vim habet, sed merae declarationis.

2. *Si contingat ut Romanus Pontifex renuntiet*, etc. — Denique potestas R. Pontificis voluntarie cessare potest per renunciationem, cum nempe Pontifex, qui electionem de se factam sponte acceptavit, officio sponte se abdicat. Tum autem ad renunciationis validitatem non est necessaria Cardinalium aliorumve acceptatio. Siquidem, principium quo rata non censetur renunciatio, quousque a Superiore acceptata non fuerit (cfr. can. 187, § 1), tenere non potest, cum in casu Superior non extet, cui renunciatio fiat. Idque, nisi affirmare velimus cum Ioanne Andreae, nunquam esse certum, renunciationem R. Pontificis Deum ratam habere, ideoque R. Pontificem officio renuntiare non posse. Sed canonistae Bononiensis sententia infirmo fundamento nititur : nempe, plura Christum D. de R. Pontifice constituisse, quam de facto constituit. Et revera, de modo, quo quis R. Pontifex fit aut esse desinit, nihil omnino Christus decrevit, sed totum negotium peragendum reliquit Romanis Pontificibus. Quare, nihil aliud hac de re nobis quaerendum est, quam quod iisdem constituere placuerit, nam certum est, id omne Deum ratum habere, quod de facto fuerit constitutum, necnon statutorum legitimam applicationem. Qua vero auctoritate Romani Pontifices statuerunt, non posse aliquem, sine electione certo modo peractam eiusdemque acceptationem, ad supremum pontificatum evehi, eadem quoque statuerunt, posse Pontificem acceptationem retractare, ac per retractationem huiusmodi, libere et publice factam, valide se officio abdicare. Ad rem Bonifacius Pp. VIII (c. 1 *de renunciat.*, I, 7 in VI) : *Quoniam aliqui curiosi, disceptantes de his, quae non multum expediunt... in dubitationem... an Romanus Pontifex... renunciare valeat papatui... deducere minus provide videbantur : Coelestinus Papa quintus praedecessor noster... volens super hoc haesitationis cuiuslibet materiam amputare... auctoritate apostolica statuit et decrevit, Romanum Pontificem posse libere resignare. Nos igitur*, etc. Sicut autem officiis inferioribus licite quis renuntiare non potest sine iusta causa, id *a fortiori* de supremo pontificatu dicendum est ; sed, cum Superior non extet, cui R. Pontifex in foro externo causam probet, haec ad forum conscientiae pertinet.

CAPUT II.

DE CONCILIO OECUMENICO.

Can. 222.

§ 1. *Dari nequit Oecumenicum Concilium quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum.*

§ 2. *Eiusdem Romani Pontificis est Oecumenico Concilio per se vel per alios praeesse, res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare, Concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, eiusque decreta confirmare.*

1. Potestas universalis, cui, in rebus fidei et morum authentice definiendis, coniunctum est privilegium infallibilitatis, duplex in Ecclesia subiectum habet : Romanum Pontificem atque Ecclesiam ipsam *docentem* collective sumptam (1). Inde ex iure divino potestas Conciliorum oecumenicorum. Hinc merito Legislator hoc altero capite de Conciliis oecumenicis agit. Oecumenicum (a graeca voce *οἰκουμενικός*, idest ad universum orbem habitabilem pertingens) illud dicitur Conciliorum genus, quod et ex universa Ecclesia (2) convocatum est, et Ecclesiam universam repraesentat, et Ecclesiae universae negotia pertractat. Itaque, si convocatio ad totam Ecclesiam non extendatur, Concilium oecumenicum nec intelligitur. Sed praeterea debet de facto Ecclesia quodammodo universa coadunari, ita nempe, ut ea merito censeri possit sufficienter repraesentata. At quando id recte fieri dicitur ? Est quaestio, saltem theorice, haud exigui momenti, nam si Concilium oecumenicum non est, eius decreta vim ubique obligandi, habere quidem possunt ex auctoritate R. Pontificis

---

(1) Ad rem quoad privilegium infallibilitatis Conc. Vaticanum (sess. IV cap. 4); *Itaque.... definimus : Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur.... ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor, Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit;* etc.

(2) Quare non immerito Berardi (*Instit. iur. can.* pars II, lib. II, tit. 2): *Causae generalium Conciliorum celebrandorum debent esse gravissimae, quarum definitio totius Ecclesiae intersit. Huius generis sunt declaratio doctrinae fidei et doctrinae morum, quarum doctrinarum unitas est vinculum fidelium universorum. His accedunt certa capita disciplinae, quae publice interest aequaliter et sine discrimine in Ecclesiis omnibus observari. Pax quoque et tranquillitas Ecclesiae, quandoque aut haeresibus subortis aut concitatis schismatibus turbata, occasionem saluberrimam praebent celebrationi Concilii generalis. Si causae longe minores occurrant, opere pretium non est totam Ecclesiam commoveri, cum alii supersint modi, quibus Ecclesiae consulatur.*

approbantis, non autem ex auctoritate Concilii. Cui quaestioni ut facilius respondeatur, investiganda est ratio, quare Concilia oecumenica convocantur. Idque profecto non ideo fit, quod R. Pontifici desit potestas ea decernendi, quae Concilium oecumenicum decernere potest, verum quia Ecclesiae praelati sunt simul et custodes traditionum et necessitatum assertores singularium communitatum, ac proinde quasi vox Ecclesiae universalis. Quod proculdubio maximi momenti est in legibus sive doctrinalibus sive disciplinaribus in totam Ecclesiam ferendis. Non igitur, ut Ecclesia universa repraesentari censeatur, necesse est praelatos omnes adesse; quod ceterum esset moraliter impossibile. Sed neque requiritur, ut finis Concilii oecumenici rite attingatur, praesentia maioritatis praelatorum, nam et minoritas optime testis esse potest sacrarum traditionum ac necessitatum catholici orbis. Quodnam igitur Concilium habendum erit tanquam oecumenicum, quoad numerum praelatorum intervenientium? Illud profecto, quod se esse tale authentice declaraverit, vel quod, deficiente huiusmodi declaratione, R. Pontifex, in approbandis actibus, oecumenicum esse censuerit: tum namque Concilium, tum seorsim R. Pontifex, cum de facto dogmatico agatur, hac in re infallibilitate utitur (cfr. Wernz, *Ius decret.*, II, 847). Aliud autem est Concilium aliquod oecumenicum declarare, aliud actibus Concilii non oecumenici vim legum universalium ex pontificia potestate conferre.

2. Quamvis potestas Conciliorum oecumenicorum sicut et, cui aequiparatur, potestas R. Pontificis (cfr. comm. ad can. 218, n. 2) ex iure divino positivo descendat, quod hoc vel illo tempore convocentur, ad ius mere ecclesiasticum spectat. Inde neque ab Ecclesiae primordiis plus quam XX Concilia oecumenica celebrata sunt, neque Conciliorum series est uniformis (1).

---

(1) Nimirum, per tria saecula nullum habitum est Concilium oecumenicum: tum enim persecutio desaeviebat ac *christianos esse non licebat.*

Pace per Constantinum Aug. Ecclesiae data (a. 313), quinque circiter saeculorum spatio, octo Concilia oecumenica orientalia celebrata sunt, nempe *Nicaenum I* (a. 325) adversus Arianos; *Constantinopolitanum I* (a. 381) adversus Macedonianos ceterosque antitrinitarios; *Ephesinum* (a. 431) adversus Nestorium et Pelagium; *Chalcedonense* (a. 451) adversus Eutychianos; *Constantinopolitanum II* (a. 553) adversus *tria capitula; Constantinopolitanum III* (a. 680) adversus Monothelitas; *Nicaenum II* (a. 787) adversus Iconoclastas; denique *Constantinopolitanum IV* (a. 869) adversus Photium.

Cetera celebrata sunt in Occidente, postquam, per duo saecula cum dimidio, nullum habitum fuerat Concilium oecumenicum. Haec autem sunt; *Lateranense I* (a. 1123) de investituris; *Lateranense II* (a. 1139) adversus pseudo-Pontifices ac Arnaldum Brixiensem; *Lateranense III* (a. 1179) publicae pacis confirmandae causa; *Lateranense IV* (a. 1215) adversus Catharos ac Valdenses; *Lugdunense I* (a. 1245) adversus Fridericum II Aug.; *Lugdunense II* (a. 1274) ad Graecos cum Ecclesia reconciliandos;

3. *Dari nequit Oecumenicum Concilium*, etc. — In primis Concilium oecumenicum debet legitime convocari, quod tum fieri recte censetur, cum convocatio ab eo fit, qui id agendi habet potestatem. Nemo autem, praeter R. Pontificem potestatem habet universae Ecclesiae praelatos convocandi : quare, si ab alio convocatio facta fuerit, irrita est ob defectum potestatis, et Ecclesiae praelati parere non tenentur. Tum vero nullus praelatus legitime adest nullaque est potestas conciliaris, ideoque Concilii oecumenici ratio evanescit, nisi, post factum, R. Pontificis ratihabitio accedat. Sed praeterea R. Pontificis est, non aliorum quorumcumque, de Concilii universalis celebrandi opportunitate, loco, tempore iudicare. At quid de octo prioribus Conciliis oecumenicis, quae non quidem a Romanis Pontificibus, sed a Romanis Imperatoribus convocata (1) esse constat? Haud difficilis est responsio. In primis enim *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum* (Reg. 68, R. J. in VI). Et ideo ex delegatione R. Pontificis potuerunt Concilia illa per Imperatores legitime convocari. Deinde *qui tacet, consentire videtur* (ibid. Reg. 43). Quare delegatio legitima censeri potest, etiamsi non fuerit expressa. Et revera, quamvis huiusce regulae valor non sit perpetuus, tamen in re tam gravi, cum R. Pontificis maxime interfuerit suam auctoritatem non neglectum iri, cumque obsistere potuerit et tamen sciens volens non obstiterit, recte censetur tacite consensisse. Quod magis etiam patet, si prae oculis habeantur Concilii Chalcedonensis verba, quibus Dioscorus, qui, eiectis Leonis Pp. I legatis, ius Concilio ephesino praesidendi sibi arrogaverat, arguitur *quod synodum ausus sit facere citra sententiam throni apostolici, quod nunquam licuit, nunquam factum est* (cfr. Hurter, *Theol. dogm. compend.* I, 404). Sed fingamus Concilium aliquod oecumenicum, R. Pontifice contradicente, a saeculari aut etiam inferiore ecclesiastica potestate esse convocatum. Quid inde ? Nihil omnino : nam aut postea R. Pontifex illegitimam convocationem ratam habet aut minus ; si primum, factum convocationis legitimum fit ex ratihabitione auctoritatis competentis ; si alterum, factum illegitimum nunquam potest iuri, cui praescribi non potest, praeiudicium afferre. Iam vero potestas Con-

---

Viennense (a. 1311) ad reformandam vitam clericorum; *Constantiense* (a. 1418) quoad ultimas sessiones tantum, in quibus, Martino Pp. V praesidente, Wiclef et Hus damnati sunt; *Florentinum* (a. 1438) iterum ad Graecos ac simul Armenos, Iacobitas reconciliandos; *Lateranense V* (a. 1512) ad Ecclesiam reformandam; *Tridentinum* (a. 1545) ad eundem finem et adversus novatores saec. XVI; denique *Vaticanum* (a. 1869, sed subsequente anno suspensum) adversus nostrae aetatis errores.

(1) Ita ex. c. Patres Nicaeni in epistola synodali ad Aegyptios (cfr. Socrates, *Hist. eccl.* 1, 9): *Quandoquidem Dei gratia Deoque carissimo principe Constantino, nos ex diversis civitatibus ac provinciis congregante, sacra et magna Synodus Nicaeae celebrata est.*

cilium oecumenicum convocandi ex iure divino positivo defluit, quo primatus in universam Ecclesiam B. Petri successoribus, idest Romanis Pontificibus, delatus est. At iuri divino nunquam potest praescribi (cfr. can. 1509, n. 1). Concilii igitur oecumenici convocatio per R. Pontificem expresse aut tacite fieri debet.

4. Sequitur : *Eiusdem Romani Pontificis est per se vel per alios*, etc. — Quae omnia patent ex eo, quod deliberationes ac decreta Concilii oecumenici Ecclesiae universae utilitatem respiciunt : unius autem R. Pontificis potestas ad Ecclesiam universam extenditur. Praeterea, Ecclesiae regimen in omnibus monarchicum est, non aristocraticum vel democraticum : est enim Ecclesia super auctoritatem Romanorum Pontificum, tanquam *super petram* (Matth. XIV, 18) erecta. Non ideo ab omnibus aequo iure congregatis, sed a R. Pontifice definienda sunt ea, quae pertinent ad constitutionem atque regimen huiusmodi Conciliorum.

CAN. 223.

§ 1. *Vocantur ad Concilium in eoque ius habent suffragii deliberativi :*

1° *S. R. E. Cardinales, etsi non Episcopi ;*

2° *Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales, etiam nondum consecrati ;*

3° *Abbates vel Praelati « nullius » ;*

4° *Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat.*

§ 2. *Etiam Episcopi titulares, vocati ad Concilium suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur.*

§ 3. *Theologi ac sacrorum canonum periti, ad Concilium forte invitati, suffragium non habent nisi consultivum.*

1. Potestas, quae, ut infra videbimus (can. 228, § 1), ex iure divino ad Concilia oecumenica spectat, nempe *quaecumque ligandi atque solvendi* ad Ecclesiae universae utilitatem, propria est eorum qui collegio apostolico successerunt. Non autem Christi Apostolis successisse dicitur, qui eorum ordinaria potestate non gaudet. Haec vero tum ordinis, tum praesertim iurisdictionis potestatem complectebatur. Quare, primo et per se, ius interveniendi ac suffragium deliberativum ferendi (1) in Conciliis oecumenicis, ad Episcopos residentiales spectat, Episcopo Urbis, idest R. Pontifice, convocante atque praesidente: scilicet est Concilium oecu-

(1) Omnia, quae ad recentiorem praxim Conciliorum generalium agendorum spectant, reperiri possunt in *Acta et decreta sacros. oecum. Conc. Vaticani.* – Romae, 1872.

menicum natura sua coetus Episcoporum residentialium. Hinc R. Pontifex potest quidem Concilium non convocare, sed, si convocaverit, non videtur tot personis posse extra ordinem suffragium deliberativum concedere, quot, prae Episcopis residentialibus convocatis, maioritatem constituant: tum namque videretur Concilii oecumenici ratio evanescere ac latae leges pontificiae quidem esse, non conciliares. Ratio autem, quare praeter Episcopos residentiales, alii quoque clerici ad Concilium ex Ecclesiae institutione convocantur cum iure ad suffragium deliberativum, posita est in potestate iurisdictionis, quam de iure et proprio nomine exercent, sive haec territorialis fuerit sive personalis: Concilii enim decreta non ex ordinis, sed iurisdictionis potestate defluunt. Quae potestas iurisdictionis, per se limitata, iure tum ecclesiastico, sed ad finem duntaxat convocationis, ad universam Ecclesiam extenditur, dum, contra, iurisdictio Episcoporum residentialium, per factum convocationis extenditur iure divino.

2. Itaque: *Vocantur ad Concilium*, etc.... *S. R. E. Cardinales*, etc. — De Cardinalibus Episcopis nulla difficultas. Ceteri S. R. E. Cardinales ad Concilium vocantur atque ius ad deliberativum suffragium habent, imo vero post R. Pontificem principem locum tenent, ac, si casus ferat praesidentiam Concilii, ex eo, quod cum R. Pontifice supremam exercent potestatem iurisdictionis in Ecclesiam universam. Quod vero Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi nondum sint consecrati, nihil refert, dummodo suae dioecesis canonicam possessionem ceperint (cfr. can. 334, § 2). Idque etiam de Abbatibus, Praelatis *nullius*, ac supremis Moderatoribus religionum exemptarum dicendum est: omnes enim iurisdictionem quasi-episcopalem ac nomine proprio aut in territorium, aut directe in personas subditorum exercent. Sed neque refert religionem iure communi an potius privilegio exemptam esse: nam utrobique par est potestas iurisdictionis. Et, cum supremi Moderatores religionum non exemptarum hac iurisdictionis potestate careant, inde est, quod ex iure ordinario ad Concilium non convocentur.

3. Sequitur: *Etiam Episcopi titulares*, etc. *Theologi ac sacrorum canonum periti*, etc. — Episcopi titulares, qua tales, nullam possunt exercere potestatem in sua dioecesi, cuius nec possessionem capiunt (can. 348, § 1); si vero fuerint Vicarii, Administratores aut fortasse Praefecti apostolici (idque etiam de Vicariis capitularibus dicendum est), iurisdictionem quidem exercent, sed alieno nomine. Et ideo nec ipsi iure ordinario convocantur. Quod si convocentur extra ordinem, facto ipso convocationis censetur R. Pontifex iurisdictionem iis (sicut et religionum non exemptarum Moderatoribus, qui convocati fuerint), sed ad finem duntaxat convocationis, necessariam, precarie tribuere, ac proinde ex privilegio ius suffragii deliberativi. Sed praeterea, *cum*, ut animadvertit Berardi (*Instit. iur. can.* p. II, l. II, tit. 2), *diremptio rerum in Concilio*

definiendarum facienda sit, audiendi sunt viri periti et divinarum literarum et veterum traditionum et canonum ecclesiasticorum. Id plane fieri nequit, nisi conveniant in Concilium, uti advocari et convenire consueverunt selecti theologiae magistri et canonum cultores, quorum omnium consilio suffragia Episcoporum quodammodo dirigerentur. Et, cum huiusmodi viri ad consilium tantummodo praestandum fortasse advocentur, non habent nisi suffragium consultivum. Quibuscum tamen confundendi non sunt theologi ac canonistae, qui Concilii Patribus privatim adsistunt : hi namque neque invitantur, neque ullum suffragium habent.

Can. 224.

§ 1. *Si quis ex vocatis ad Concilium ad normam can.* 223, § 1, *eidem, iusto impedimento detentus, interesse non possit, mittat procuratorem et impedimentum probet.*

§ 2. *Procurator, si fuerit unus e Concilii Patribus, duplici suffragio non gaudet ; si non fuerit, publicis tantum sessionibus interesse potest, sed sine suffragio ; expleto autem Concilio, huius acta subscribendi ius habet.*

1. *Si quis ex vocatis ad Concilium*, etc. — Qui ad normam can. 223, § 1 ad Concilium advocantur, ex eo quod suffragio deliberativo gaudent, gravi interveniendi obligatione tenentur. Quare, si iusto, idest proportionato, impedimento se detineri existimaverint, debent procuratorem mittere ac eius opera impedimentum probare. Et hac obligatione iustum impedimentum probandi etiam Episcopi titulares, ad Concilium advocati, teneri videntur, quamvis non teneantur ad mittendum procuratorem : etenim convocatio praeceptum est, cui vel parere oportet, vel legitime probare se parere non posse.

2. *Procurator, si fuerit unus*, etc. — Qui Concilio intersunt cum iure suffragii deliberativi, nuncupantur Concilii Patres. Procurator vero absentis personam gerit ; dioecesis traditiones, consuetudines, necessitates, absentis loco demonstrat, atque Concilii acta subscribit. Ad nullum tamen suffragium admittitur : non ad suffragium consultivum, quia non invitatus est ad Concilium, uti theologus aut canonista; non ad deliberativum quia, qua procurator, Concilii Pater non est, et hac de causa, ut canon ait, si procurator fuerit unus e Concilii Patribus, hic duplici suffragio non gaudet.

Can. 225.

Nemini eorum qui Concilio interesse debent, licet ante discedere, quam Concilium sit rite absolutum, nisi a Concilii praeside cognita ac probata discessionis causa et impetrata abeundi licentia.

Nimirum, qua de causa Concilii Patres convocati sunt, eadem quoque adesse tenentur, quousque Concilium absolutum non fuerit : ideo namque

convocati sunt, ut, tanquam iudices ac legislatores, cum R. Pontifice sedeant ad negotia proposita peragenda.

Quare, sicut qui iusto impedimento, quominus Concilio intersit, detentus fuerit, impedimentum probare debet (can. 224, § 1), ita et qui discedendum sibi esse existimaverit, debet probare causam discessionis et abeundi licentiam impetrare a Concilii praeside, idest a R. Pontifice eiusve delegato.

Can. 226.

Propositis a Romano Pontifice quaestionibus Patres possunt alias addere, a Concilii tamen praeside antea probatas.

Concilii Patres iudices in rebus fidei sunt, legislatores in rebus disciplinaribus, eorumque auctoritas, salva R. Pontificis suprema auctoritate, ad Ecclesiam universam eiusque cuiuscumque generis necessitates extenditur. Haec ratio praescripti huius canonis.

Can. 227.

Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata.

1. Concilii oecumenici decreta, uti tanquam conciliaria merito habeantur, oportet legitime fiant. Quocirca certum esse videtur, decretum, a R. Pontifice editum contra unanimem sententiam ac voluntatem Patrum, non esse conciliare sed pontificium : vicissim Patrum decretum, etiam unanimiter editum contra voluntatem ac sententiam R. Pontificis, neque conciliare decretum esse, neque legem ecclesiasticam. Sed quid de decreto R. Pontificis, contra sententiam ac voluntatem maioritatis Patrum ? Estne uti conciliare habendum ? Est quaestio subtilis et difficultatibus implicata. Wernz (*Ius decret.* II, n. 847, II) caute loquitur, aiens *necessitatem quandam absolutam consensus maioris partis Episcoporum non posse demonstrari.* Alii aliter opinati sunt. Sed, quia tandem aliquando, sicut rerum omnium ecclesiasticarum, Concilii quoque oecumenici R. Pontifex iure divino supremus moderator est, horum nempe coetuum inaequalium peculiari natura considerata, per quam Concilii Patres sunt quidem iudices (quare et acta *definientes subscribunt*), at iudices subordinati, videtur nobis, tum etiam decretum habendum esse tanquam conciliare, cum sententiae ac voluntati R. Pontificis tantummodo minoritas Patrum accedit.

2. Ait canon : *Concilii decreta vim definitivam*, etc. — Uti Concilii oecumenici decreta vim habeant definitivam obligandi, nempe Ecclesiam universam, duo accedere debent : 1°) R. Pontificis confirmatio ; 2°) eorundem promulgatio R. Pontificis iussu facta. Et primum confirmatio. Haec substantialiter consistit in accessione sententiae ac voluntatis R. Pontificis voluntati ac sententiae Patrum. Proinde, cum Concilium oecumenicum

et Patribus constet et eorum capite, idest R. Pontifice, confirmatione deficiente decretum conciliare nec intelligitur. Sed eadem de causa tot modis potest confirmatio fieri, quot potest R. Pontificis mens menti Patrum accedere, idest aut expresse aut tacite ; expresse vero aut antecedenter, per speciale mandatum (cfr. Wernz, *Ius decret.* II, n. 850) ; aut concomitanter, per singulorum, dum eduntur, decretorum approbationem ; aut consequenter. Quapropter evanescit obiectio, quod quibusdam Conciliis oecumenicis orientalibus nunquam accesserit confirmatio pontificia : omnium enim Conciliorum oecumenicorum, quae in Oriente celebrata sunt, decreta fuerunt saltem a Romanis Pontificibus executioni mandata, et ideo facto tacite confirmata atque approbata. Neque difficultatem facit, iisdem decretis imperialem quoque approbationem accessisse. Quid, quod Marcianus Aug. a. 453 ad Leonem Pp. I (ep. 110) ita scripserit : *Miramur supra modum quod post chalcedonensem synodum et literas venerabilium episcoporum ad tuam sanctitatem missas, quibus omnia in ipsa synodo acta significabant, nullo prorsus pacto a tua clementia eiusmodi epistolae remissae sint?* Ac postea : *Et ob eam rem tua pietas literas mittere dignabitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat, in sancta synodo peracta, a tua beatitudine rata haberi?* Imperialis igitur confirmatio nihil aliud significabat, quam quod Conciliorum decreta, nedum uti ecclesiasticae, verum etiam uti civiles leges habenda erant. Nam *res humanae*, ait Leo Pp. I (ep. 60), *aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas.* Non igitur dantur Conciliorum oecumenicorum decreta, quae a R. Pontifice confirmata non fuerint. Sed praeterea eadem decreta, ut vim obligandi habeant, oportet iussu R. Pontificis promulgentur. Et in primis promulgari debent : etenim tum leges institui censentur, cum promulgantur (can. 8, § 1). Quare nulla lex sine promulgatione. Deinde promulgatio debet esse legitima : aliter neque promulgatio est. Tum vero decreta Concilii oecumenici legitime promulgari dicuntur, cum promulgatio ita fit, ut constare possit Ecclesiae universae, ea esse a Concilio legitime lata. Id autem minime constare posset, si uti talia R. Pontificis iussu promulgata non fuerint : siquidem tum posset de ipsa pontificia confirmatione dubitari.

Can. 228.

§ 1. *Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate.*

§ 2. *A sententia Romani Pontificis non datur ad Concilium Oecumenicum appellatio.*

1. *Concilium Oecumenicum suprema pollet*, etc. — Fundamentum potestatis Concilii oecumenici in voluntate Christi positum est. Ait nempe

Christus D. beatum Petrum Ap. alloquens : *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis,* etc. (Matth. XIV, 19); postea vero alloquens universum collegium Apostolorum : *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo,* etc. (ibid. XXIII, 18). Quae igitur potestas competit R. Pontifici seorsim sumpto, eadem competit et Concilio, idest Patribus cum R. Pontifice collegialiter definientibus. Hinc Concilium oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate. Ac proinde *Conciliorum dispositionibus solus Papa derogare potest* (S. Rota in *Recentior.* decis. 90, n. 8, p. 16, etc.) ; imo, *ut censeatur per Pontificem derogatum Conciliis generalibus, requiritur specialis mentio... : aliter non praesumitur velle Papam derogare* (ibid. decis. 40, n. 3, p. 4, t. I, etc.).

2. Sequitur : *A sententia Romani Pontificis,* etc. — Quod a R. Pontificis sententia non detur ad Concilium oecumenicum appellatio, ex iis, quae supradiximus, consequitur. Nam, si Concilium oecumenicum dari nequit quod non fuerit a R. Pontifice convocatum (can. 222, § 1), cuiusque decreta non fuerint ab eodem confirmata (can. 227), proculdubio absurdum est, a R. Pontificis sententia ad Concilium appellari : siquidem, idem esset in causa iudex et reus. Sed praeterea absurda est appellatio contra eius sententiam interposita, qui in terris Superiorem non habet : non enim appellatio intelligitur, nisi apud superiorem iudicem facta fuerit. Quare in tota antiquitate nullum reperimus huiusmodi appellationum exemplum. Primus, qui appellavit, fuit, teste Petro de Marca, Fridericus II Aug. (a. 1245). At post Conc. Vaticanum theoria *conciliaris,* idest superioritatis Concilii et legitimitatis appellationis a sententia R. Pontificis ad Concilium, contra fidem pugnat (1). Quod si, extante R. Pontifice dubio (prout accidit tempore schismatis accidentalis) aut haeretico, oporteat Ecclesiae saluti consulere, tum utique Ecclesiae Pastores legitime coëunt ; at huiusmodi congregatio, cum capite careat, ne nomen quidem Concilii oecumenici meretur.

Can. 229.

Si contingat Romanum Pontificem, durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit.

R. Pontifice vita functo, Ecclesia, ac proinde Concilium, quamvis legitime convocatum, inceptum ac fortasse ad exitum fere perductum,

---

(1) *Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a iudiciis Romanorum Pontificum ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem. appellare* (Conc. Vatic. Sess. IV cap. 3).

capite caret. Et, cum potestas universalis, praeterquam R. Pontifici, toti Ecclesiae *docenti*, idest non episcopatui seorsim sumpto, sed cum supremo pontificatu coniuncto, divinitus collata fuerit, patet Concilii tum oecumenici potestatem interire. Quare, ut canon ait, ipso tum iure Concilium intermittitur. Neque, R. Pontifice electo, haec potestas eodem ipso iure reviviscit : integrum namque est novo Pontifici, quod sibi magis placuerit agendum, et ideo etiam posset, absolute loquendo, Concilii Patres dimittere. Quousque igitur novus Pontifex voluntatem suam non manifestaverit, conditio iuridica Concilii eadem perseverat, ac erat eo momento quo capite caruit. Scilicet, decreta, quae ante obitum Pontificis, eoque fortasse confirmante, legitime lata fuerant, vim retinent legum universalium ; cetera omnia suspensa manent, donec novus Pontifex Concilium resumi et continuari iusserit, aut, si id factum non fuerit, saltem decreta nondum confirmata sua auctoritate sanxerit.

CAPUT III.

DE SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS.

CAN. 230.

S. R. E. Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt.

1. Quemadmodum quilibet Episcopus, ita a primordiis R. Pontifex, in Ecclesiae romanae ac universalis regimine, utebatur consilio et opera *presbyterii* (cfr. I *ad Tim.* IV, 14). Inde videtur repetenda esse prima origo sacri Cardinalium collegii. Iam vero *de nomine « Cardinalis »*, ait Berardi (*Instit. iur. can.*, p. II, l. 2, t. 4) *viri eruditi dimicant... nec constans fuit eius usurpatio ad idem significandum. Derivata vox est a verbo « incardinare » quod idem sonat ac « inserere, adiicere, immittere ». Si ergo clericus quidam, idest aut sacerdos aut diaconus, ecclesiae alicui inserebatur, is dicebatur incardinari, seu fieri illius ecclesiae... sacerdos, diaconus cardinalis. Quidquid tamen sit in conspectu veterum formularum, hodie circumscripta est nominis significatio ad indicandos Episcopos, presbyteros et diaconos, qui certos titulos in Romana Ecclesia gerunt, et unum quodammodo corpus constituere dicuntur cum Pontifice Maximo.* Ac statim subiungit : *Priscis Ecclesiae saeculis hoc collegium coalescebat ex universis Romanae Ecclesiae clericis, quemadmodum etiam observabatur in collegiis omnium cathedralium ecclesiarum. Atque illud collegium modo amplius erat modo angustius, pro merito et qualitate causarum dirimendarum. Si enim causae leviores essent, istae dirimebantur a Pontifice Romano consilio clericorum romanae urbis*

ac dioeceseos ; si graviores essent, istae dirimebantur a Pontifice Romano consilio etiam Antistitum romanae provinciae, aliquando insuper finitimarum provinciarum, praesertim Italiae. Habebat ergo romana provincia suas urbes episcopales Romae suffraganeas. His praefecti Antistites dici propterea potuerunt Episcopi Romanae Ecclesiae Cardinales. Ipsa romana urbs, praeter pontificalem ecclesiam habebat plures titulos aut sacerdotales seu presbyterales aut diaconales. Titulis sacerdotalibus praeficiebantur presbyteri, qui ibidem sacra facerent et sacramenta administrarent. Titulis diaconalibus praeficiebantur diaconi, qui ibidem patrimonium... Romanae Ecclesiae administrarent inque pias causas tribuerent. Hisce titulis praefecti vocati sunt Romanae Ecclesiae Cardinales presbyteri aut diaconi. Ergo triplex constitutus est Cardinalium ordo. Potestas igitur, iura atque obligationes S. R. E. Cardinalium iure mere ecclesiastico consistunt.

2. Itaque : *S. R. E. Cardinales Senatum Romani Pontificis,* etc. — Scilicet Cardinales collegium constituunt, cuius consilio et opera R. Pontifex, Sede plena, utitur in Ecclesia regenda, quodque, uti postea videbimus, Sede vacante, defuncti Pontificis vices ex parte supplet novumque Pontificem eligit. Hinc omnia Cardinalium, sive seiunctim sive qua collegium, iura atque obligationes ; hinc etiam ratio, quare, post tractationem de Concilio oecumenico, quod suprema pollet in universam Ecclesiam potestate, Legislator agit de S. R. E. Cardinalibus.

CAN. 231.

§ 1. *Sacrum Collegium in tres ordines distribuitur : episcopalem, ad quem soli pertinent sex Cardinales dioecesibus suburbicariis praepositi ; presbyteralem, qui constat Cardinalibus quinquaginta ; diaconalem, qui quatuordecim.*

§ 2. *Cardinalibus ordinis presbyteralis ac diaconalis suus cuique titulus aut diaconia in Urbe assignatur a Romano Pontifice.*

Uti supra diximus, sacrum Cardinalium collegium ex tribus ordinibus constituitur : primo ordine censentur Cardinales, qui sunt dioeceseon provinciae romanae Episcopi ; altero ac tertio ordine, qui praesunt titulis ac diaconiis cardinalitiis Urbis. Sixtus Pp. V, per const. *Postquam verus* (3 dec. 1586) ac *Religiosa sanctorum* (13 apr. 1587), primo ordini sex, alteri quinquaginta, tertio vero quatuordecim Cardinales assignavit : quae distributio ad nos usque perseveravit et in Codicem recepta est.

CAN. 232.

§ 1. *Cardinales libere a Romano Pontifice ex toto terrarum orbe eliguntur, viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes.*

§ 2. *A cardinalatus dignitate arcentur :*

1° *Illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati, itemque alii irregulares vel a sacris ordinibus impediti secundum canonicas sanctiones, etsi cum ipsis auctoritate apostolica fuerit ad ordines et dignitates etiam episcopalem dispensatum ;*

2° *Qui prolem etiam ex legitimo matrimonio susceptam, vel nepotem ex ea habent ;*

3° *Qui primo aut secundo gradu consanguinitatis alicui Cardinali viventi coniuncti sunt.*

1. *Cardinales libere a Romano Pontifice*, etc. — Cardinales creari dicuntur, eo quod eorum nominatio libere prorsus a R. Pontifice perficienda sit, absque ullius praesentatione, electione, consilio et praesertim consensu. Quod si praeteritis temporibus sacrum Collegium, per *capitulationem* in conclavi factam aliove modo, Romanis Pontificibus imposuit, ut nominationes sine praevio eius consilio vel etiam consensu fieri non possent, id cum iure divino pugnabat (cfr. Wernz, *Jus decret.* II, n. 625), et R. Pontifex de iure omnimoda libertate fruebatur, quamvis de facto harum interdum conventionum rationem habuerit. Sed neque introducta apud Galliarum, Austriae, Hispaniarum ac Lusitaniae Principes vel supremos Moderatores consuetudo, aliquem virum R. Pontifici commendandi, ut, veluti Cardinalis *Coronae*, in s. Collegium admitteretur, cum agatur de mero desiderio nullo iure innixo, liberae pontificiae nominationi praeiudicium non affert.

2. *Viri saltem in ordine presbyteratus* etc. — Legislator definit quinam esse debeat status personalis qualitatesque eius, qui ad cardinalitiam dignitatem evehitur. Sed cum Cardinales libere a R. Pontifice eligantur, cumque et qualitates huiusmodi et impedimenta (impedimento indignitatis excepto) ad ius mere ecclesiasticum pertineant, nullum dubium est, quim possit R. Pontifex in omnibus dispensare. Primum igitur, ut quis ad cardinalatus dignitatem aptus habeatur, debet esse presbyter ; et quia, ex iure communi, nemo potest ad ordinem presbyteratus promoveri ante annum vicesimum quartum completum (can. 975), inde, indirecte, creandi Cardinalis aetas statuitur. Et haec sunt nova, nam ante promulgationem Codicis, ex Sixti Pp. V const. *Postquam verus* (3 dec. 1586, § 6), nemo *in Diaconum Cardinalem assumi poterat, nisi saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno constitutus fuisset, ita ut omnino intra annum ad sacrum diaconatus ordinem valeret et deberet promoveri.* Deinde creandus Cardinalis esse debet doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestans. Egregie : ideoque iure communi non amplius tenet regula a Conc. Tridentino (sess. XXIV, cap. 1 *de reform.*) statuta, qua eaedem in Cardinali qualitates requirebantur, ac in Episcopo : siquidem, ut quis ad episcopatum habeatur idoneus, oportet sit

bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia, ceterisque dotibus praeditus, quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim de qua agitur (can. 331, § 1, n. 4).

3. Sequitur: *A cardinalatus dignitate arcentur: Illegitimi*, etc. — Illegitimi sunt, qui ex iustis nuptiis nati non sunt (cfr. can. 1114), idest filii naturales, et *a fortiori*, adulterini ac sacrilegi; naturales vero arcentur, etiamsi postea fuerint per subsequens matrimonium legitimati. Deinde arcentur alii irregulares, sive ex defectu (cfr. can. 984) sive ex delicto (cfr. can. 985), vel a sacris ordinibus impediti (cfr. can. 987); quamvis dispensati iam fuerint ad ordines suscipiendos, imo etiam ad dignitatem episcopalem, ad quam dispensatio generalis non sufficit, sed specialis requiritur (cfr. can. 991, § 3). Est namque tam excelsa dignitas S. R. E. Cardinalium, ut nihil non rectum in ea iure reperiri oporteat. Ad rem, vehementioribus verbis Paulus Pp. II (cfr. Petra, *Comment. in Constit. Eugen. IV*, n. 13): *In rebus aliis hominem esse posse; in ecclesiarum rectoribus creandis angelum, in Collegio augendo Deum, Pontificem esse oportere. Qui in altero peccet, impium; qui in altero, daemonem esse existimandum. In illo unam ecclesiarum prostitui ac viro alieno coniungi; in hoc ecclesias universas periclitari.*

4. *Qui prolem etiam ex legitimo*, etc. — Agitur de prole *etiam* ex matrimonio legitimo suscepta. Si quis igitur, vivente uxore (cfr. can. 987, n. 1), ex apostolica dispensatione (cfr. can. 991) vel, uxore defuncta, ad ordinem presbyteratus promotus fuerit, et ex eo matrimonio proles supersit, vel saltem ex ea, idest ex filio filiave, supersit nepos (non neptis), huiusmodi coniugatus, pater vel avus actualiter existens, a dignitate cardinalatus arcetur. Quare autem haec regula introducta fuerit, explicite declarat Sixtus Pp. V (const. *Postquam*, 3 dec. 1587 § 16): *Cum autem ad honorem adeo sublimem promovendi, omni virtutum et praesertim castimoniae laude supra caeteros plurimum eminere debeant; qui vero filios etiam legitimos ex uxore sua alias dignoscitur suscepisse, nequeat suae testimonium continentiae exhibere, et pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione geratur, verendumque sit ut propterea variis propriae domus negotiis ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiae negotia sibi credita aut negligenter tractet, aut minus sollicite, et fideliter, quam par est, eiusdem Ecclesiae iura tueatur, prohibemus* etc.

5. *Qui primo aut secundo gradu*, etc. — Demum a cardinalatu arcentur, qui alicui Cardinali viventi coniuncti sunt primo vel secundo gradu consanguinitatis. Ut igitur quis hoc impedimento detineatur, oportet in primis consanguineus sit Cardinali viventi: nempe Cardinalis consanguinei obitus impedimentum solvit. Deinde vero oportet sit consanguineus in primo aut secundo gradu, aut lineae rectae aut collateralis. Scilicet oportet creandus Cardinalis, Cardinalis viventis neque pater sit, neque filius, neque frater, neque avus, neque nepos ex filio,

neque patruus aut avunculus, neque ex fratre nepos. Iam vero, propter praescriptum praecedentium numerorum huius paragraphi, praeciditur possibilitas consanguinitatis cum Cardinale vivente in primo et altero gradu lineae rectae descendentis, seu dari non potest consanguinitatis vinculum, quo creandus Cardinalis, Cardinalis viventis sit filius [aut nepos ex filio ; quare, nonnisi linea recta ascendens et linea collateralis sub huius numeri praescripto cadere possunt. At quaenam praescripti ratio? *Uti*, ait Sixtus Pp. V. (ibid. § 17), *factionum fomitem et simultatum ansam ex sacro hoc coetu, quantum cum Domino possumus, amputemus.*

CAN. 233.

§ 1. *Cardinales creantur et publicantur a Romano Pontifice in Consistorio sicque creati et publicati obtinent ius ad electionem Romani Pontificis et privilegia de quibus in can.* 239.

§ 2. *Si tamen Romanus Pontifex creationem alicuius in Consistorio annuntiaverit, eius nomine sibi in pectore reservato, sic promotus nullis interim gaudet Cardinalium iuribus aut privilegiis, sed, postquam a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem fruitur a publicatione, iure vero praecedentiae a reservatione in pectore.*

1. *Cardinales creantur et publicantur* etc. — Persona idonea ad cardinalatum assumitur per creationem et publicationem. Scilicet aliquem R. Pontifex Cardinalem creare dicitur, cum voluisse se unam aut plures personas in sacrum Collegium adsciscere manifestat ; publicari autem dicitur, cum quae sint personae ita electae, detecto nomine aliove modo exprimit. Consuetudo autem invaluit, haec in Consistorio perficiendi. Consistorium is locus appellatur, in quo aliqui consistunt, in quo conveniunt, imo et congregatio ipsa. Hinc vox primum significavit aulam, in qua Romani Principes consiliarios congregabant, ut eorum sententia mexquirerent. Quare D. Ambrosius (ep. 51) ad Theodosium Aug. post caedem Thessalonicensem : *Soli mihi in tuo comitatu ius naturae ereptum videbam audiendi, ut et loquendi privarer munere ; motus enim frequenter es quod ad me pervenissent aliqua, quae in consistorio tuo statuta forent.* Inde vero vox in ius nostrum pertransiit, ad congregationem Cardinalium cum R. Pontifice significandam : et tum sacrum Consistorium secretum dicitur ; quod si, praeter Cardinales praesentes in Curia, alii quoque admittantur, publicus nuncupatur. Cum igitur quis in Consistorio a R. Pontifice et Cardinalis creatur et publicatur, facto ipso omnia obtinet Cardinalium iura ac privilegia : tum enim et voluntas Pontificis aperte manifestatur et persona designatur : quae et requiruntur et sufficiunt ad Cardinales creandos.

2. *Si tamen Romanus Pontifex* etc. — Sed contingere potest, ad exemplum Martini Pp. V, qui primus (23 iul. 1423) id fecisse videtur, R. Ponti-

ficem in nominando Cardinali voluntatem quidem manifestare, sed a se delectam personam minime designare ; et tum dicitur R. Pontifex creati nomen sibi *in pectore servasse*. Sic igitur a R. Pontifice Cardinalis creatus et non publicatus, quia non publicatus, quoad iurium atque privilegiorum exercitium et usum, perinde est, ac si non esset creatus; quia vero de facto Cardinalis creatus est, statim atque R. Pontifex eius nomen publicaverit, nedum omnibus iuribus atque privilegiis uti potest, verum etiam iure praecedentiae fruitur a momento reservationis in pectore. Quod si, contra, nunquam publicatus fuerit, censetur R. Pontifex voluntatem suam, antea manifestatam, retractasse. At publicari semper potest, quousque R. Pontifex est inter vivos ; si vero publicetur per actum mortis causa, tum, quia rationes, propter quas creati Cardinalis nomen in pectore reservatum est, iudicio et auctoritati novi Pontificis subiiciuntur, sine huius beneplacito nullius videtur esse roboris huiusmodi publicatio.

CAN. 234.

Promotus absens a Curia debet in recipiendo bireto rubro iurare se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento, Summum Pontificem aditurum.

Cum Cardinalis, creatus et publicatus in Consistorio, quacumque ex causa abest ab Urbe, biretum ei rubrum non a R. Pontifice imponitur, sed ab eiusdem Pontificis legato extraordinario, idest ab *Ablegato*, defertur. Tum vero debet creatus Cardinalis iurare, se intra annum, nisi legitimo impedimento detineatur, R. Pontificem aditurum. Quod iusiurandum si emittere recusaverit, ipso facto cardinalitia dignitate privatus perpetuo manet (can. 2397). Legisque ratio in hoc posita est, quod, uti Sixtus Pp. V (const. *Postquam*, 3 dec. 1586, § 19) ait, *proprium est Cardinalium munus adsistere Christi in terris Vicario... ac propterea absurdum est Cardinales procul ab ipso Pontifice vitam agere.*

CAN. 235.

Nisi aliter in casibus particularibus fuerit a Sancta Sede provisum, per promotionem ad sacram purpuram non solum ipso facto vacant dignitates omnes, ecclesiae, beneficia quae promotus possideat, sed etiam pensiones ecclesiasticae amittuntur.

Sanxerat Sixtus Pp. V (const. *Sanctissimus*, 16 mart. 1588), *quod per promotionem ad cardinalatum vacent omnes ecclesiae et omnia beneficia cuiuscumque nominis et tituli sint, nisi fuerit data retentio, quae concessa*

intelligenda erat et data ad patriarchales, metropolitanas et cathedrales ecclesias, ad monasteria, etiam commendata, ad prioratus et ad cetera omnia alia beneficia, quae videntur convenire dignitati cardinalatus. Ad alia vero quae videntur repugnare dignitati et gradui cardinalatus, puta archipresbyteratus, archidiaconatus, decanatus, canonicatus et similia beneficia non extendatur, cum obtinentes huiusmodi beneficia teneantur residere in choro et habere debeant locum post Episcopum, Cardinalis dignitati non convenientem. Legislator igitur, sicuti cetera fere omnia, hanc quoque de Cardinalibus disciplinam, ab imm. mem. Pontifice statutam, in Codicem recepit. Sed aliquatenus immutavit, idque imprimis ex duplici capite : 1°) quia cavit, ut etiam pensiones ecclesiasticae, quae in iure beneficii nomine non veniunt (can. 1412, n. 4), amitterentur ; 2°) quia voluit, nullam exceptionem iure communi dari, ita, ut quoties in casibus particularibus excipiendum sit, nonnisi per expressam voluntatem Ap. Sedis excipi possit. Ratio autem legis semper eadem est : nempe incompatibilitas cum cardinalatu, aut propter adnexas obligationes, aut propter Cardinalium dignitatem.

CAN. 236.

§ 1. *Per optionem in Consistorio factam et a Summo Pontifice approbatam, possunt, servata prioritate ordinis et promotionis, Cardinales ex ordine presbyterali transire ad alium titulum et Cardinales ex ordine diaconali ad aliam diaconiam et, si per integrum decennium in ordine diaconali permanserint, etiam ad ordinem presbyteralem.*

§ 2. *Cardinalis ex ordine diaconali, transiens per optionem ad ordinem presbyteralem, locum obtinet ante omnes illos Cardinales presbyteros qui post ipsum ad sacrae purpurae honorem assumpti sunt.*

§ 3. *Suburbicaria si vacet sedes, Cardinales ex ordine presbyterali, qui momento vacationis praesentes fuerint in Curia vel ab ea absentes ad tempus ob sibi commissum negotium aliquod a Romano Pontifice, optare eam possunt in Consistorio, servata prioritate promotionis.*

§ 4. *Cardinales quibus una ex ecclesiis suburbicariis est assignata, aliam optare nequeunt ; cum vero Cardinalis gradum Decani attigerit, dioecesim suam Ostiensi cumulat, quae proinde cum alia atque alia dioecesi suburbicaria in persona Cardinalis Decani semper coniungitur.*

1. *Per optionem in Consistorio* etc. — Sacrum Cardinalium Collegium, uti par est, caput habet, nempe Cardinalem Decanum. Praeterea, uti supra vidimus, tribus ordinibus constat, sibi invicem subordinatis, quorum cuique aut sedes episcopales aut tituli presbyterales aut diaconiae, item invicem sibi subordinata (cfr. Wernz, *Jus decret.* II, n. 629), adnexa sunt. Cum igitur sedes, tituli, diaconiae vacaverint, possunt (non tenentur)

Cardinales inferius constituti illa consequi, idque fit, decanatu ac subdecanata exceptis (can. 237), per exercitium iuris *optionis* ad normam huius canonis. Ius huiusmodi exerceri debet in Consistorio, sed optio nullum effectum habet, nisi R. Pontificis consensus accedat. Deinde exerceri debet servata prioritate, nempe primum ordinis (ac proinde, presbytero Cardinali optante, Cardinalis diaconus eundem titulum optare non potest, etiamsi per decennium in ordine diaconali permanserit), postea vero, inter Cardinales eiusdem ordinis, prioritate promotionis.

2. *Cardinalis ex ordine diaconali* etc. — Cum Cardinalis diaconus ad ordinem presbyteralem ascendit, fit cum Cardinalibus presbyteris ordine par : non restat igitur, nisi ut ius praecedentiae statuatur ex prioritate promotionis ad cardinalatum.

3. *Suburbicaria si vacet sedes* etc. — Sedes suburbicarias nonnisi Cardinales presbyteri optare possunt, servata, uti patet, promotionis prioritate, dummodo tamen sint in Curia praesentes, quamvis in Consistorio non adsint : videtur enim posse optio et per procuratorem fieri. Itaque Cardinales a Curia absentes optare nequeunt, nisi absentia et temporanea sit et iussu R. Pontificis locum habeat : sicut namque *nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest* (fr. 134 D. L, 17), ita nemo ex diligentia sua capiat oportet detrimentum. Et, cum absentia debeat esse temporanea, non possunt ex iure communi sedem suburbicariam optare Cardinales, qui simul sint, ex dispensatione R. Pontificis, Episcopi residentiales : ex natura enim possessi beneficii, huic isti perpetuo devinciuntur.

4. *Cardinales quibus una ex ecclesiis* etc. — Pius Pp. X (motu propr. *Edita a Nobis*, 5 *maii* 1914) decrevit: *Ut incommodis ac detrimentis occurratur quae frequens mutatio sedium gignere consuevit, hoc ratum fixumque esto... ut, quam quisque Cardinalis Episcopus nactus est initio sedem, in ea permaneat etiam cum Decani gradum attigerit ; tum enim dioecesim suam Ostiensi cumulabit.* Et exinde sedes Ostiensis (habes hic exemplum cumulationis beneficiorum, iure communi statutae) optari non potest.

Can. 237.

§ 1. *Sacro Cardinalium Collegio praeest Decanus, idest antiquior promotione ad aliquam sedem suburbicariam, cui tamen nulla est in ceteros Cardinales iurisdictio, sed ipse primus habetur inter aequales.*

§ 2. *Vacante decanatu, ipso iure succedit subdecanus, sive is tempore vacationis sit praesens in Curia, sive in sua suburbicaria dioecesi commoretur, sive absit ad tempus ob sibi commissum munus a Romano Pontifice.*

Tum Cardinalis Decanus tum Subdecanus, non per optionem, sed ipso iure gradum suum consequuntur. Uterque vero, nullam in collegas potesta-

tem habent, quamvis Decanus et, eo absente, Subdecanus sacrum Collegium repraesentet. Et animadvertendum est, Cardinalem Episcopum suburbicarium, absentem a Curia non censeri, cum ad suam dioecesim se confert (can. 238, § 2) ; et ideo tum etiam, si fuerit Subdecanus, in vacantem decanatum ipso iure succedit.

CAN. 238.

§ 1. *Cardinales tenentur obligatione residendi in Curia, nec fas est ipsis ab eadem discedere sine licentia Romani Pontificis, salvo praescripto* §§ 2, 3, *huius canonis.*

§ 2. *Haec obligatio urget quoque Cardinales Episcopos suburbicarios ; sed ipsi non indigent licentia ut sese conferant ad dioeceses sibi commissas, quoties opportunum iudicaverint.*

§ 3. *Cardinales qui sunt Episcopi alicuius dioecesis non suburbicariae, lege residendi in Curia eximuntur ; sed cum ad Urbem venerint, Summum Pontificem adeant, nec ab Urbe discendant antequam ab eodem abeundi licentiam impertraverint.*

1. *Cardinales tenentur obligatione*, etc. — Residentiae lex Cardinales strictissime tenet. Neque annuae eis vacationes, quibus et ipsi Episcopi uti possunt, iure communi conceduntur. Ut igitur ab Urbe discedere possint, toties quoties licentia R. Pontificis exquirenda est ; huiusque rei ratio reperitur in verbis Sixti Pp. V (const. *Postquam*, 3 dec. 1586, § 19) quae supra ex parte attulimus : *Proprium est Cardinalium munus* (nempe Sede plena) *assistere Christi in terris Vicario eique in regenda Ecclesia catholica consilium et operam assidue praestare, atque cum eo Ecclesiae necessitatibus providere.*

2. *Haec obligatio urget quoque*, etc. — Hac et seqüente paragrapho exceptiones duae statuuntur, quarum prima respicit Cardinales suburbicarios, altera Cardinales, qui simul sunt Episcopi residentiales. Cardinales suburbicarii eidem atque ceteri residentiae legi subiiciuntur. Hinc Pius Pp. X (constit. *Apostolica Romanorum*, 15 apr. 1910) haec animadvertit : *Ex altera vero parte obeunda Cardinalibus in Urbe negotia adeo sunt multiplicata, ut eorum poene mole obruantur... Quo fit ut suppeditandis auxiliis et impendendis curis, quibus commissae iisdem dioeceses... maxime indigent,... tempus et vires interdum non sufficiant.* Ac proinde decernit : *Disciplina quae huc usque viguit, ut E.mis Episcopis Sabinensi et Veliterno adiutor daretur suffraganeus Episcopus, ad omnes extenditur Cardinales suburbicarios, quibus idcirco singulis suus erit in posterum suffraganeus* (idest coadiutor) *Episcopus cum sede titulari.* Et statim subiungit : *Cardinalis suffraganeo attribuat, et vi praesentis constitutionis irrevocabiliter attribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria*, idest quae

propria sunt Episcopi residentialis. Quam tamen disciplinam Benedictus Pp. XV (const. *Ex actis*, 1 febr. 1915) abrogavit, ac *Cardinales Episcopos suburbicarios officio et onere adsciscendi suffraganeos* solvit. Quapropter magis atque magis tenentur Cardinales suburbicarii obligatione sese conferendi ad dioeceses sibi commissas : et ideo hac in re R. Pontificis licentia non indigent. Altera exceptio respicit Cardinales, qui simul sunt Episcopi residentiales. Hi non tenentur lege residendi in Curia : cum enim, ex dispensatione R. Pontificis, beneficium residentiale habeant extra Urbem, ibi residere tenentur. At cum ad Urbem venerint, R. Pontificem adire debent et, quoad discessionem, iisdem obligationibus subiecti sunt, ac Cardinales in Curia residentes. Ratio vero semper eadem est, quam ex Sixti Pp. V verbis supra attulimus.

Can. 239.

§ 1. *Praeter alia privilegia quae in hoc Codice suis in titulis enumerantur, Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio facultate gaudent:*

1. Cum canon sit fere interminabilis, explicabimus per partes. Agitur de Cardinalium privilegiis. Haec passim Codice continentur, et quae non continentur, hic Legislator enumerat. Quare nullo iam alio privilegio, per legem generalem irrogato, fruuntur Cardinales (1). Sed neque possunt his privilegiis renuntiare ; non singuli, quia non singulis sed coetui conceduntur a iure ; non coetus, quia privilegia huiusmodi per modum legis irrogata sunt (cfr. can. 72, § 4).

2. *Praeter alia privilegia*, etc. — Generatim privilegia quibus inferiores clerici fruuntur, ad Cardinales quoque pertinent. Sed praeterea haud pauca, ipsorum propria, passim reperiuntur in Codice. Nimirum Cardinales, qui non sunt Episcopi residentiales, ex privilegio habent in Conciliis oecumenicis suffragium deliberativum (can. 223, § 1, n. 1) ; possunt, in transeundo ad alium titulum vel diaconiam, optione uti (can. 236, § 1) ; in suis titulis vel diaconiis thronum et baldachinum adhibere (can. 240, § 3) ; intra monialium clausuram ingredi (can. 600, n. 3) ; quamvis non Episcopi, ecclesiam atque altaria suorum titulorum vel diaconiarum consecrare (can. 1155, § 1) ; sacram supellectilem, ad eorum personam pertinentem, donare aut testamento relinquere ecclesiae, oratorio publico, pio loco vel etiam personae ecclesiasticae vel religiosae (can. 1298, § 1) ; in suis titulis vel diaconiis Urbis beneficia non curata erigere (can. 1414, § 2) ; ad collationem vero omnium beneficiorum ibidem vacantium habent intentionem in iure fundatam (can. 1432, § 1). Insuper eximuntur

(1) Obsoleta Cardinalium privilegia recenset *Ferraris* v. *Cardinales*, art. IV.

tam in contentiosis quam in criminalibus a cuiuscumque iurisdictione, uno R. Pontifice excepto (can. 1557, § 1, n. 2), et ideo poena eos plectere aut incurrisse declarare, unius est R. Pontificis (can. 2227, § 1); qui Cardinales iniuriis sive realibus sive verbalibus affecerint aut ad iudicem laicum traxerint, gravioribus poenis puniuntur (can. 2341, 2343 § 2, 2344); ac demum eorum cadavera nedum possunt in ecclesiis sepeliri (can. 1205, § 2), verum etiam in dignioribus (can. 1219, § 1). Privilegiis autem, quae hoc in can. 239 enumerantur, gaudent Cardinales a sua promotione in Consistorio, exceptis tantum, ad normam can. 233, § 2, Cardinalibus, quorum nomen a R. Pontifice in pectore reservatum fuerit. Et primum de privilegiis, quae sunt cunctis Cardinalibus communia. Omnes igitur facultate gaudent:

1. *Audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii;*

Audiendi ubique terrarum, etc. — Continetur hoc privilegio facultas amplissima. Potestas namque absolvendi, multis iure communi limitibus arctatur: territorio, mandato, reservationibus. Territorio: quare tum Ordinarius, tum canonicus poenitentiarius, tum parochus, possunt eos tantum absolvere, qui in territorio sibi subiecto reperiuntur; extra territorium vero nonnisi subditos, idest eos qui per domicilium aut quasi-domicilium eidem territorio vinculo iuridico adstricti sunt. Sed neque in eos, qui ratione territorii sibi subiiciuntur, omnimoda potestate gaudent: multa enim tum Ordinarii, tum canonici poenitentiarii potestati subtrahuntur per reservationes pontificias; potestati vero parochorum, quaedam etiam per reservationes episcopales. Demum qui potestatem habent delegatam, fines mandati egredi non possunt. Haec iure communi. Contra, Cardinales *ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia potiuntur* (can. 873, § 1) perinde ac R. Pontifex, nullis fere limitibus arctata. Et revera, nullus quoad illos limes territorialis, nulla reservatio peccatorum existit, ne pontificia quidem (cfr. can. 894). Sed neque censurarum, si paucas excipias. Et primum excipiendae sunt censurae Ap. Sedi specialissimo modo reservatae, nempe: censura lata in eos, qui contra sanctissimam Eucharistiam deliquerint (can. 2320); in eos, qui in personam R. Pontificis violentas manus iniecerint (can. 2343), in eos, qui absolverint complicem in peccato turpi (can. 2367); in eos; qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserint (can. 2369). Deinde excipiendae sunt censurae, *quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii*. Ex quibus canonis verbis in primis patet, huiusmodi censuras non esse sublatas, quamvis inter poenas ecclesiasticas in specie non re-

censeantur : fit enim hic, ad normam can. 6, n. 5, harum poenarum mentio, et hoc sufficit, uti tanquam non abrogatae habeantur. Sciendum igitur est, haud pauca esse decreta, quae, Congregatione S. Officii erecta, lata sunt a Romanis Pontificibus de secreto quoad eius negotia servando ; sed inter alia maximi momenti est decretum 1° febr. 1759 a Clemente Pp. XIII editum et a Pio Pp. X in suum motu-propr. *Romani Pontifices* (17 dec. 1903), poenas quod attinet, ad verbum translatum. Hoc itaque motu-proprio, omnes Congr. S. Officii officiales *tenentur ad suum munus fideliter obeundum inviolatumque in omnibus et cum omnibus secretum servandum sub poena excommunicationis maioris latae sententiae, ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua nonnisi a R. Pontifice eiusque pro tempore successoribus, privative etiam quoad s. Poenitentiariam ipsumque D. Cardinalem poenitentiarium, praeterquam in articulo mortis, absolvi possunt.* Cui censurae excommunicationis, iuxta decretum Clementis P. XIII, addi possunt a R. Pontifice aliae poenae gravissimae (sive censurae sive poenae vindicativae) transgressoribus ac transgressionibus proportionatae. Et a censuris huiusmodi, uti patet, neque S. R. E. Cardinales absolvere possunt. Sequitur

2. *Sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, illis tantum censuris exceptis de quibus in n.* 1 ;

Profecto est magni momenti privilegium, semper uti posse confessario, iis facultatibus praedito quae Cardinalium sunt propriae, quasque nuper exposuimus : has namque facultates si non habeat, imo, summo iure, si qualibet iurisdictione vel etiam Ordinarii approbatione omnimo careat, delectus a Cardinali confessarius, ad effectum excipiendi confessionem huiusmodi, directe obtinet a iure communi. Idque privilegium ad familiares quoque Cardinalium extenditur, dummodo confessarius non a familiari, sed a Cardinali eligatur, uti canon aperte cavet. Familiares autem sunt, qui ad Cardinalis familiam pertinent. At familia non naturali, sed iuridica significatione accipitur et quidem fere eadem significatione, quam iure Romanorum obtinebat : tum enim et mancipia, quae libero civi inserviebant, eius familiam constituere dicebantur. Ad rem Ulpianus (fr. 40 D. L. 16) : *Unicus servus familiae appellatione non continetur ; ne duo quidem familiam faciunt* : scilicet, ait iurisconsultus, ad familiam constituendam, sicut et collegium, saltem tres requirebantur. Hinc iure nostro familiares appellati sunt, qui alicui personae ecclesiasticae inserviunt, sive haec physica sit sive moralis. Ad rem S. Rota : *Familiaris ut quis dicatur, requiritur mens et dens, et sic praestatio victus* (in *Recentior.* decis. 584, n. 3, p. 1). Item *requiritur, quod fuerit destinatus ad aliquod certum servitium*

(ibid.). Sed subdit : *Intellige Cardinalium familiares alios esse deputatos ad particulare servitium, alios esse sine servitio, quales sunt nobiles, assistendo solum in anticameris et associando Cardinales in functionibus et similibus* (ibid. decis. 403 n.10 p. 4). Ac deinde : *Intellige pariter, quod quis potest esse familiaris, licet non comedat in tinello, puta quia recipit portionem in pecunia vel eam habet extra domum.* Ac tandem : *Familiares Cardinalis non dicuntur, qui in eorum domibus habent expensas, seu partem, non ut familiares et servitores, sed ut amici et consanguinei.* (ibid. in causa Salmant - Abulen. *Beneficii*, 6 iun. 1599 coram Penna). Hinc licet aliquatenus naturam canonicae familiaritatis colligere. Nimirum, is personae ecclesiasticae familiaris esse videtur, qui, per personalem sub eodem tecto vel saltem in eodem loco praesentiam, personae huiusmodi suam operam habitualiter praestat propter emolumentum, victus nomine aut stipendii aut utriusque, vel quovis alio modo aeque percipiendum (quamvis de facto *per accidens* emolumentum nullum percipiat), animo utrobique existente et locandi operam et conducendi. Quare Cardinalium familiares merito habendi esse videntur eorum Auditor seu Secretarius, vir nobilis adsistens, cubicularius, coquus, auriga, stabuli curator, etc. Sed vetera privilegia eorum, qui Cardinalium familiaritate fruebantur, hodie fere ad mihilum redacta sunt. Sequitur

3. *Verbum Dei ubique praedicandi;*

In primis, ad normam can. 1327, munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est, et quidem iure divino, R. Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis vero pro populo iisdem concredito (can. 1327, § 1). Quibus addendi sunt pro suis subditis Superiores religionum exemptarum, iurisdictione quasi-episcopali fruentes. Deinde, nemini licet ministerium praedicationis exercere, nisi a legitimo Superiore, idest vel a R. Pontifice vel ab Ordinario dioecesis, vel a Superiore religionis exemptae, missionem receperit (can. 1328). Haec iure communi. At S. R. E. Cardinales ab eodem iure privilegium habent, verbum Dei, R. Pontificis instar, ubique praedicandi. Ubique : idest nullo loco ac proinde nulla persona excepta, ne monialibus quidem aut religiosis exemptis. Et cum hanc potestatem habeant a iure communi, nullius consensum exquirere tenentur. Sequitur

4. *Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in feria* V *maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini;*

Ius commune, quoad Missae celebrationem, haec inter alia decernit : 1° Non posse Missae sacrificium iis diebus celebrari, qui proprio sacerdotis ritu excluduntur (can. 820); — 2° Non posse Missae sacrificium inchoari

citius, quam una hora ante auroram, vel serius, quam una hora post meridiem (can. 821, § 1), excepta nocte Nativitatis Domini, qua Missa conventualis vel paroecialis (non alia) media nocte inchoari potest (ibid., § 2). Latino (1) autem ritu, feria V *in Coena Domini* non admittuntur Missae privatae, sed tantum Missa sollemnis ac conventualis. Sed leges huiusmodi S. R. E. Cardinales non respiciunt : siquidem, hi privilegio gaudent per se ipsi celebrandi vel, si celebrare nolint aut non possint, permittendi ut coram se alius celebret. Celebrandi vel permittendi : et ideo si celebraverint, quicumque sit locus vel causa (veluti si celebraverint ex obligatione episcopali officio adnexa), ut alius celebret permittere non possunt. Coram se : et ideo, nisi personaliter assistant, iam non est privilegio locum ; iis enim, et non alii, concessum est. Sequitur

5. *Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas deprecatorias, cruces numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis ;*

Enumeratio est taxativa, ideoque privilegium non comprehendit nisi coronas deprecatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia ab Ap. Sede (ac proinde non ab ordinario tantummodo) probata. Tum privilegium tenet. Ratio autem privilegii his de causis consistit : 1° Quod facultas fit benedicendi *ubique ;* 2° Quod *solo crucis signo* ; 3° Quod *cum omnibus indulgentiis* ab Ap. Sede concedi solitis ; 4° Quod scapularia imponi possunt *sine onere inscriptionis.* Possunt igitur Cardinale *ubique* benedicere : quare Superior territorialis aut religiosus, etiamsi agatur de benedictionibus quibusdam religionibus reservatis, obsistere nequeunt. Item benedicere possunt *solo crucis signo,* dum ceteri clerici, salvo peculiari privilegio, subiecti sunt regulae iure communi statutae : benedictiones sive constitutivas sive invocativas esse invalidas, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta (can. 1148, § 2). Sed praeterea possunt Cardinales, per benedictionem a se datam, rebus huiusmodi *omnes indulgentias,* ab Ap. Sede concedi solitas, applicare. Agitur profecto de indulgentiis *apostolicis,* quas nempe R. Pontifex, sive per se sive per alios, concedere solet. Quas vero indulgentias applicare soleat R. Pontifex his rebus a se benedictis, reperiri potest in decr. Pii Pp. X *Ut quis valeat* (28 aug. 1903). Denique possunt Cardinales imponere scapularia *sine onere inscriptionis.* Nimirum, sunt nonnulla scapularia, quorum receptio necessario secumfert re-

---

(1) Ritu Ambrosiano Missae celebratio interdicitur omnibus sextis feriis, quae a dominica prima quadragesimae usque ad Pascha occurrunt, excepto casu, quo in hos dies incidat festum praecepti ; imo feria sexta maioris hebdomadae nec Missa *praesantificatorum* celebratur (cfr. Gasparri, *De SS.ma Eucharistia* n. 69).

ceptionem in confraternitatem, veluti B. V. Virg. de Monte Carmelo. Quare, tum in regesto confraternitatis inscriptio, ad actus substantiam et ideo validitatem pertinet. Hinc S. Congr. Indulgentiarum rogata respondit (26 can. 1871), *clericum, ex apostolico indulto scapularia benedicentem ac imponentem, teneri nomina receptorum statim quidem inscribere in privato regestu ; postea vero ad Superiorem Sodalitii transmittere, ut in albo ipsius referantur.* A quo inscriptionis onere Cardinales ex privilegio dispensantur. Sequitur

6. *Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes « Viae Crucis » cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt; nec non benedicendi pro fidelibus, qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes « Viae Crucis» visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio eiusdem « Viae Crucis» a Romanis Pontificibus adnexarum;*

Stationum *Viae Crucis* erectio reservatur ordini FF. Minorum S. Francisci, ita tamen, ut excludantur privata oratoria in quibus, sine apostolico indulto, nequit Missa celebrari (S. Congr. Indugent., 4 aug. 1767) ac insuper fieri non possit, nisi legitima forma, pluribus orationibus ac benedictionibus constans, adhibeatur (cfr. Rituale Rom., *Methodus pro erigendis stationibus Viae Crucis*). Haec lex, a qua, hoc in numero, Cardinales ex privilegio partialiter solvuntur. Indulgentiae vero, pio *Viae Crucis* exercitio adnexae, eaedem sunt, ac si idem exercitium Hierosolymis perageretur. Sequitur

7. *Celebrandi super aram portatilem non solum in domo propriae habitationis, sed ubicumque degunt ; et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur ;*

Privilegium *altaris portatilis* in hoc consistit, quod privilegiarius possit ubique (non tamen in mari) celebrare, honesto et decenti loco ac huiusmodi adhibito altari (can. 822, § 3). Hoc privilegium vel iure vel indulto apostolico conceditur (ibid., § 2) : habent a iure Cardinales, Episcopi, Vicarii ac Praefecti Apostolici etc., cum facultate privilegium extendendi ad sacerdotem, qui ipsis adstantibus, Missam celebraverit. Itaque amplior est hac in re, propter necessitates pastoralis regiminis, potestas Ordinariorum (ibid., § 4). Sequitur

8. *Celebrandi in mari debitis cautelis adhibitis ;*

Et hoc privilegium, cum quatuor subsequentibus, non est exclusivum Cardinalibus (cfr. can. 349, § 1, n. 1; 294, § 1, etc.). Et est extensio pri-

vilegii praecedentis. Cautelae autem adhibendae, a S. Congr. de Prop. Fide (decr. 1 mart. 1902) ita proponuntur : *Videant* (privilegiarii) *utrum mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis sacrarum specierum e calice ; curent ut alter sacerdos, si adfuerit, rite celebranti adsistat ; et si in navi non habeatur capella propria vel altare fixum, caveant omnino ne locus ad Missae celebrationem delectus, quidquam indecens aut indecorum praeseferat.* Sequitur

9. *In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio calendario conformem ;*

Regula generalis quoad usum calendarii in Missa celebranda, continetur decreto S. Rituum Congr. 9 iul. 1895 : *Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum* (vel etiam *semi-publicum* principale domus, uti ead. Congr. declaravit 22 mai 1896), *Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi regularium proprias, omnino celebrent officio eiusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in romano sive in Regularium missali contineantur, exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.* Contra hanc regulam, Cardinales privilegio fruuntur, Missam ubique celebrandi iuxta proprium calendarium, nempe iuxta calendarium R. Pontificis et romanae dioecesis, si sint de Curia, iuxta propriae dioecesis calendarium, si sint Episcopi residentiales. Sequitur

10. *Fruendi altari privilegiato personali quotidiano ;*

Ait Gasparri (*Tract. can. de SS.ma Eucharistia* n. 286) : *Aliquando Sedes Apostolica concedit privilegium ut Missae celebratione anima a purgatorio liberari statim possit per indulgentiam, si divina Misericordia id acceptum tulerit. Hoc in casu habetur « altare privilegiatum » ; et si quidem hoc privilegium adnexum sit tali altari, est altare privilegiatum « locale » ; si personae ubivis celebranti concessum est, est altare privilegiatum « personale »*. Iam vero privilegium Cardinalibus a iure concessum, nedum personale est, sed etiam quotidianum. Sequitur

11. *Lucrandi in propriis sacellis indulgentias, ad quas acquirendas praescripta sit visitatio templi alicuius vel publicae aediculae civitatis seu loci, in quo Cardinales actu commorentur, quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt ;*

Ubicumque igitur actu commorentur Cardinales, sive in Urbe sive extra, has indulgentias locales acquirere possunt, debitis operibus praestitis, in privatis sacellis, quibus tum, quamvis precario, utuntur. Et privilegium familiares quoque comprehendit. Sequitur

12. *Benedicendi ubique populo more Episcoporum ; sed in Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus ;*

13. *More Episcoporum gestandi crucem ante pectus etiam supra mozetam atque utendi mitra et baculo pastorali ;*

Episcopis quid sit agendum, docet *Caeremoniale Episcoporum* et *Pontificale romanum. Crux pectoralis*, ait Gasparri (*Tract. canon. de SS.ma Euchar.* n. 729) *est necessarium Episcoporum ornamentum ac distinctivum ; mitra* vero *est insigne dignitatis episcopalis* (ibid., n. 732) ac proinde non prohibentur Episcopi extra territorium sibi subiectum iis uti ; contra, *baculus pastoralis significat episcopalem iurisdictionem* (ibid., n. 734), et ideo extra suum territorium, eo Episcopi uti non possunt absque permissu Ordinarii loci (cfr. *Caeremon. episcopor.*, lib. I, cap. 17). Idque etiam de benedicendi iure affirmandum est (cfr. S. Rituum Congr. in *Viglevanen.*, 5 oct. 1669). Itaque more Episcoporum possunt Cardinales, nedum mitra et cruce, quod omnibus Episcopis licitum est, sed cruce supra mozetam et baculo pastorali ubique uti, imo et populo ubique benedicere. Excipitur Urbs, in qua, in obsequium supremae iurisdictionis R. Pontificis, privatim tantum benedicere possunt. Sequitur

14. *Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello sine praeiudicio illius qui indulto gaudet ;*

Iuxta can. 1195 § 1, *in oratoriis domesticis* (idest privatis), *ex indulto Apostolicae Sedis, nisi aliud in eodem indulto expresse caveatur, celebrari potest.... unica Missa... singulis diebus, exceptis festis sollemnioribus.* Ideo igitur consistit privilegium, quod, si in hisce oratoriis Cardinalis celebraverit, perinde sit ac si nemo celebrasset, et integrum supersit ius indultarii. Sequitur

15. *Pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus ecclesiis extra Urbem, Ordinario praemonito, si ecclesia sit cathedralis ;*

Regula generalis haec est : Episcopi residentiales, a capta sedis possessione, ius habent elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino (can. 349, § 2, n. 3); extra dioecesim vero id agere nequeunt, sine consensu Ordinarii loci (can. 337, § 3). Ex adverso S. R. E. Cardinales, extra Urbem, id possunt in omnibus ecclesiis orbis (ecclesiis, inquam, non oratoriis, cum sit privilegium, iurium tertii laesivum, stricte interpretandum), etiam non consentientibus, imo, summo iure, insciis loci Ordinariis, nisi agatur de Ordinariorum propria ecclesia, nempe de ecclesia cathedrali. Quidnam vero hac in re possint in Urbe, videbimus can. 240, § 3. Sequitur

16. *Honoribus locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocumque se conferant;*

Honores huiusmodi vel a Caeremoniali Episcoporum statuuntur vel sunt consuetudine legitima introducti: utrumque genus Cardinalibus ubique terrarum debetur. Sequitur

17. *Fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes;*

Oracula pontificia dicuntur gratiarum quarumcumque concessiones, quae a R. Pontifice oretenus fiunt. Cum autem et contigerit et contingere possit, huiusmodi gratias R. Pontificem per aliquem S. R. E. Cardinalem concedere (ex. c. religioni per Cardinalem protectorem), inde multum disceptatum est de vi probatoria, quam habet hac in re Cardinalium testimonium. Verum, ex canone iam patet, peremptoriam esse auctoritatem testimonii huius, quo praestito, gratia pontificia plenam vim obtinet in foro externo et consequenter in foro conscientiae. At, occasione capta, quaeri potest: quid de privilegiis per vivae vocis oraculum ante Codicis promulgationem impetratis? Suntne eodem iure censenda, ac privilegia rescripto concessa? Et videntur ita esse censenda, cum nulla extet ratio aliter diiudicandi. Proinde ad haec quoque privilegia extendendae sunt clausulae omnes revocatoriae, quae Codice continentur. Sequitur

18. *Fruendi sacello ab Ordinarii visitatione exempto;*

Et videtur canon loqui non solum de sacellis, quae Cardinales de Curia habent in Urbe, sed de omnibus sacellis sive urbanis sive ruralibus, quae in territorio, Cardinalium iurisdictioni non subiecto, reperiantur. Sequitur

19. *De reditibus beneficiariis libere disponendi etiam per testamentum, salvo praescripto can.* 1298;

Hoc privilegio eximuntur Cardinales a praescripto can. 1474, vi cuius beneficiarius potest quidem libere uti-frui reditibus beneficialibus, quae ad eius honestam sustentationem sint necessarii, sed obligatione tenetur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis: quare de his bonis superfluis (parsimonialibus demptis) neque per actum inter vivos, neque testamento potest libere disponere. Contra, Cardinales utrumque possunt ex privilegio, salvo tamen praescriptum can. 1298, quo cavetur, ut defuncti Cardinalis, qui in Urbe domicilium habebat, tum quaelibet sacra supellex, tum aliae res quomodocumque divino cultui stabiliter destinatae, de quibus dum esset inter vivos legitime non disposuerit, cedant pontificio sacrario. Sequitur

20. *Consecrationes et benedictiones ecclesiarum, altarium, sacrae supellectilis, Abbatum aliasve similes, excepta oleorum sacrorum consecratione si Cardinalis charactere episcopali careat, ubique locorum, servatis servandis, peragendi, firmo praescripto can.* 1157;

Minus amplum est privilegium hoc numero recensitum : nam, non solum excipitur oleorum consecratio, si Cardinalis non sit Episcopus; non solum cavetur, ut omnia quae sunt de iure, praesertim liturgico, servanda, adamussim serventur, sed, quod plus est, firmatur quoque praescriptum can. 1157, nempe nullum locum consecrari posse aut benedici, ne a Cardinali quidem, sine Ordinarii consensu. Sequitur

21. *Praecedendi omnibus Praelatis etiam Patriarchis, imo ipsis Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens ; Cardinalis autem Legatus « a latere » praecedit extra Urbem omnibus aliis ;*

Itaque S. R. E. Cardinales ubique terrarum ceteris omnibus praecedunt, qui cardinalitia dignitate carent ; inter sese vero locum obtinent iuxta ordinem ad quem pertinent (cfr. can. 106, n. 3) ; in eodem autem ordine, iuxta prioritatem promotionis ad cardinalatum (cfr. can. 236, § 1), nisi agatur de Cardinali in proprio territorio residens, idest de Cardinali, qui simul sit Episcopus residentialis : hic enim in suo territorio aliis omnibus praecedit, excepto Cardinali Legato *a latere*, cui cedere debet. Tum vero Cardinalis Legatus *a latere* incipit suis iuribus frui, cum e portis Urbis egreditur. Denique, cum agitur non de singulis Cardinalibus, sed de Sacro Collegio, principem locum obtinet Decanus et, eo absente, Subdecanus (can. 237), quamvis hi gradus, non a prioritate promotionis ad cardinalatum, sed promotionis ad sedem suburbicariam, dependeant. Sequitur

22. *Conferendi primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras;*

Privilegium, hic Cardinalibus a iure concessum, peculiare esse videtur ex eo, quod secus ac Vicarius vel Praefectus Apostolicus, secus ac Abbas vel Praelatus *nullius*, qui, si charactere episcopali caruerint, tonsuram et ordines minores valide conferre possunt, *servatis servandis*, tantummodo intra fines sui territorii (can. 957, § 2), contra, Cardinales eodem charactere carentes, possunt ubique conferre. Sequitur

23. *Ministrandi sacramentum confirmationis, firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris;*

Quare privilegium, hoc numero recensitum, sit Cardinalibus peculiare, constat ex can. 782, § 3, quo Legislator statuit, facultate

confirmationem extraordinarie conferendi ipso iure gaudere, praeter S. R. E. Cardinales, Abbatem vel Praelatum *nullius*, Vicarium et Praefectum Apostolicum, *qui tamen ea valide uti nequeunt nisi intra fines sui territorii*, etc. Qua limitatione potestatis, non subduntur Cardinales, episcopali charactere carentes. Sequitur

24. *Concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam, « toties quoties » lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis ; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas.*

Ad normam can. 912, praeter R. Pontificem, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a iure concessum est, et hi quoque non libere prorsus, sed (can. 913) sub quibusdam conditionibus. Iam vero a iure expresse conceditur Episcopis residentialibus, a capta dioecesis possessione, et intra fines proprii territorii, facultas elargiendi indulgentias quinquaginta dierum (can. 349, § 2, n. 2) ; Metropolitis vero, tum in suo tum in suffraganeorum territorio, indulgentias dierum centum (can. 274, n. 2). Amplior potestas concedit ius S. R. E. Cardinalibus. In primis enim possunt Cardinales indulgentias ducentorum dierum ubique elargiri, hac tamen lege, ut indulgentiae non locum afficiant, sed solummodo a personis, singulis vicibus praesentibus, lucrari quaeant. Deinde possunt Cardinales easdem indulgentias elargiri per modum gratiae permanentis, tum realis tum personalis, etiam *toties quoties* lucrandas, dummodo loca, instituta, personae, quibus elargiuntur, vel sint eorum iurisdictioni subiecta vel protectioni concredita. Sunt autem Cardinalium iurisdictioni subiecta, praeter dioeceses ac provinciae ecclesiasticae, si agatur de Cardinalibus qui non sint de Curia, tituli ac diaconiae Urbis cum personis iisdem addictis (cfr. can. 240, § 2) ; sunt eorum protectione concreditae religiones, tum virorum tum mulierum, instituta, pia loca. Et modo videamus de privilegiis, quae propria sunt Cardinalium quorundam ratione loci, quem occupant in ipso sacro Collegio.

§ 2. *Cardinalis Decanus gaudet privilegio ordinandi et consecrandi electum Pontificem, si hic ordinatione vel episcopali consecratione indigeat, et tunc pallio utitur ; quod privilegium absente Cardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente, antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario.*

Evenire potest, electum Pontificem charactere episcopali carere, imo, summo iure, charactere presbyterali, diaconali aut etiam clericali. Inde privilegium consecrandi eum aut etiam ordinandi. Et est genuinum privilegium, si nempe ratio habeatur prioritatis promotionis ad cardinalatum, quae maximi momenti est in sacro Collegio : est, inquam, genuinum privilegium, huiusmodi ius, electum Pontificem ordinandi atque con-

secrandi, esse cum decanatu, subdecanatu vel antiquiore episcopatu suburbicario coniunctum, cum semper deficere possit in Cardinalibus huiusmodi, prioritas promotionis.

§ 3. *Demum Cardinalis Proto-diaconus pallia Archiepiscopis et Episcopis privilegio fruentibus eorumve procuratoribus, vice Romani Pontificis, imponit ; et nomen novi electi Pontificis populo annuntiat.*

Paragraphi praescriptum undique clarum. Proto-diaconi autem nomine, venit Cardinalis, qui inter Cardinales diaconos prius fuit ad sacrae purpurae honorem assumptus.

CAN. 240.

§ 1. *Cardinalis ad sedem suburbicariam promotus et in eiusdem possessionem canonice immissus est verus Episcopus suae dioecesis, eaque potestate in eam pollet, quam Episcopi residentiales in propria dioecesi obtinent.*

§ 2. *Ceteri Cardinales in suis titulis vel diaconiis, postquam eorundem canonicam possessionem ceperint, omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis ecclesiis, exceptis ordine iudiciorum et qualibet iurisdictione in fideles, sed salva potestate in iis quae ad disciplinam, morum correctionem, servitium ecclesiae pertinent.*

§ 3. *Cum throno et baldachino Cardinalis ordinis presbyteralis potest in suo titulo pontificalia peragere et Cardinalis ordinis diaconalis in sua diaconia pontificaliter assistere, et nemo alius ibidem id potest sine Cardinalis assensu ; in aliis vero Urbis ecclesiis Cardinales throno et baldachino uti nequeunt sine licentia Romani Pontificis.*

Cardinales Episcopi, in dioecesibus suburbicariis plena potestate episcopali fruuntur. At non ita ceteri Cardinales in suis titulis ac diaconiis. Nimirum, ex potestate quasi-episcopali, quam antiquitus obtinebant, post Innocentii Pp. XII const. *Romanus Pontifex* (17 sept. 1672), qua omnis in populum romanum potestas translata est in Vicarium Urbis, iam non restat Cardinalibus presbyteris et diaconis, nisi potestas in clerum, nempe non exemptum, aliasque personas servitio ecclesiae addictas : potestas, inquam, legislativa et executiva, dempta, etiam in clerum, potestate iudiciaria.

CAN. 241.

Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium et Romana Curia non aliam habent potestatem, quam quae definitur in const. Pii X « Vacante Sede Apostolica », 25 dec. 1904.

1. De potestate Cardinalium Sede Apostolica vacante, expresse agit cap. I citatae constitutionis. Et in primis irritum declaratur, si quid tum

egerit S. Collegium, quod ad R. Pontificem, dum viveret, pertinebat (n. 1). Deinde cavetur, ne s. Collegium de iuribus Ap. Sedis atque Romanae Ecclesiae quomodolibet disponere valeat (n. 2). Tertio prohibetur quaelibet legum pontificalium immutatio aut dispensatio, idque potissimum valere dicitur de hac ipsa constitutione (n. 3). Quocirca tamen, si quod dubium emerserit, fit s. Collegio potestas constitutionem interpretandi per maioritatem suffragiorum (n. 4). Denique, urgente necessitate, negotium quod maioritas censuerit non posse differri, s. Collegium, tum etiam per suffragiorum maioritatem, potest ac debet, precarie tamen, definire. (n. 5). Sed praecipuum, Ap. Sede vacante, Cardinalium munus ad electionem R. Pontificis spectat, de qua cfr. comment. ad can. 219.

2. Vidimus quemadmodum Cardinales creentur, quibus teneantur obligationibus, qua potestate, quibusque iuribus ac privilegiis polleant: restat videndum quemadmodum dignitate decidant. Decidunt vero sua dignitate Cardinales eodem fere modo, quo alii clerici officia ecclesiastica amittunt, nempe morte, renunciatione, translatione, privatione (cfr. can. 183, § 1). Iam vero patet, renunciationem Cardinalium a R. Pontifice acceptari oportere (cfr. can. 187, § 1); translationem autem tum solummodo habere locum, cum Cardinalis in R. Pontificem eligitur. Denique extra omnem quaestionem est, posse Cardinales per R. Pontificem dignitate privari, absolute absque ullo s. Collegii consensu, ad normam iuris et naturalis aequitatis. Quod, si Romani Pontifices anteactis temporibus s. Collegii aut synodorum suffragium hac in re exquisierunt vel maiorem, ac iure requiratur, testium numerum audiendum esse censuerunt, id sponte ac pro sua prudentia, sed nullo iure coacti, fecerunt.

CAPUT IV.

DE CURIA ROMANA.

Can. 242.

Curia Romana constat Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis, prout inferius enumerantur et describuntur.

1. In Ecclesiae primordiis, dum christianorum persecutio desaeviebat, rarius Romani Pontifices Ecclesiae universae negotia expediebant. At libertate vindicata, negotia generalia in dies magis ac magis frequentia fieri coeperunt. Quare primum Romani Pontifices, si quid gravius statuendum esset, consilio et opera synodorum, quae quotannis in Urbe celebrabantur, usi sunt; postea vero, cum paulatim S. R. C. Cardinales

principem in Ecclesia locum post R. Pontificem obtinuerint, a saec. XII negotia ex parte in Consistorio, ex parte autem per extraordinarios Cardinalium coetus expediri coepta sunt. Hi coetus saec. XVI in permanentes Congregationes, praesertim per Sixti Pp. V const. *Immensa aeterni* (22 ian. 1588), transierunt, ac, una cum Tribunalibus et Officiis, Curiae Romanae recentiorem atque perfectiorem formam constituerunt. Sed neque ullo tempore defuerunt inferiores administri, ex clero palatino olim delecti, quos inter eminebant *Cappellani Papae seu Auditores causarum s. Palatii Ap.*, ex quibus saec. XII Tribunal S. Rotae coaluisse videtur (cfr. Cerchiari, *S. R. Rota*, I, cap. 1-14). Quae tandem Romanae Curiae constitutio magis ac magis Pii Pp. X const. *Sapienti consilio* (29 iun. 1908) ac nuper promulgatione Codicis definita et perpolita est.

2. *Romana Curia constat* etc. — Constat igitur Curia Romana Congregationibus, Tribunalibus et Officiis. Est autem constitutio Curiae omnino *sui generis*, non *a priori* excogitata, sed potius, prout quotidiana experientia suadebat atque peculiaris Ecclesiae natura expostulabat, plurium saeculorum spatio pedententim confecta. Quare sunt in Curia Congregationes, veluti Congr. S. Officii, quae ordine iudiciario quandoque procedunt (cfr. Wernz, *Jus decret.* II, n. 658), et ex adverso Tribunalia sunt, veluti S. Poenitentiaria, quae nonnisi de *plano* negotia definiunt. Tamen aliquatenus verum est, ut Chelodi placet (cfr. *Ius de personis*, n. 160), Congregationes habere competentiam administrativam, Tribunalia iudicialem, Officia praecipue ministerialem. Haec vero dicasteria nomine et auctoritate R. Pontificis agunt, quare nihil mirum, si communi appellatione veniant *Apostolicae Sedis* (can. 7). Non tamen Curiae romanae decreta atque resolutiones a R. Pontifice prodiisse censentur, nisi *in forma specifica* probata fuerint.

CAN. 243.

§ 1. *In singulis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis servanda est disciplina et tractanda sunt negotia secundum normas tum generales tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit.*

§ 2. *Omnes qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae pertinent, ad secretum servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum.*

1. *In singulis Congregationibus*, etc. — Uniuscuiusque dicasterii modus procedendi ac competentia, ex materia aut ex territorio aut ex personis lege definita est, sublata qualibet cumulatione. Sunt autem huiusce legis normae, aliae communes aliae peculiares : illae omnia, hae singula dicasteria respiciunt (cfr. Pii Pp. X const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, atque

Ordo servandus, etc. Pars I Normae communes, 29 iun. 1908, Pars II Normae peculiares, 29 sept. 1908).

2. *Omnes qui*, etc. — *Praeter Cardinales*, ait Chelodi (ibid. b.) *qui, excepta Rota, in omnibus praecipuum locum tenent, habentur in unoquoque* (nempe dicasterio) *administri maiores* (Praelati), *administri minores et deservientes : illi libere nominantur a Pontifice, isti per concursum, hi prudenti arbitrio ab eo qui officio praeest. Apud Congregationes sunt praeterea consultores, pariter a R. Pontifice nominati; tum apud Congregationes tum apud Tribunalia advocati. Curiae aliquo modo pertinent denique procuratores seu agentes, qui negotia sive privatorum sive dioeceseon curant et acta transmittunt: quamvis enim fideli cuique aditus ad S. Sedem et facultas per se agendi pateat, ministerium procuratoris praefertur.* Hi omnes tenentur ad secretum servandum, non tamen eodem modo nec intra eosdem fines. In primis igitur omnium dicasteriorum administri, ante officii assumptionem, obligatione tenentur iusiurandum emittendi de secreto servando iuxta communem formulam (1), salva lege formulam particularem adiiciendi pro iis dicasteriis, quibus peculiare et gravius iusiurandum imponitur (*Ordo servandus*, etc. *Normae communes*, cap. III). Ad quod quidem gravius iusiurandum (2) tenentur omnes qui aliquo munere funguntur

---

(1) Iurisiurandi formula : *In nomine Domini. Ego N. N. spondeo,* etc... *me... secretum officii religiose servaturum in iis omnibus, quae sacri canones aut Superiores secreta servari iusserint, itemque quoties ab Ordinariis id postulatum fuerit, et quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus aut Ecclesiae obvenire potest.*

(2) Haec formula iurisiurandi, quod *sancti officii* dicitur, quaque utitur S. Congr. Consistorialis : *In nomine Domini. Ego N. N. sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua, praeterquam in articulo mortis, a nullo nisi a Summo Pontifice, ipso quidem Cardinali Poenitentiario excluso, absolvi possim : et sub aliis poenis etiam gravissimis arbitrio Summi Pontificis mihi in casu transgressionis infligendis, spondeo, voveo ac iuro; inviolabile secretum me servaturum in omnibus et singulis quae ad Episcoporum, Administratorum Apostolicorum aliorumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique rationem delata sint ; itemque in omnibus quae ad dioecesum erectionem seu earundem unionem spectent, exceptis dumtaxat iis quae in fine et expeditione eorundem negotiorum legitime publicari contingat ; et hoc secretum me servaturum cum omnibus qui eodem iuramenti vinculo constricti non sint, et cum iis etiam qui, quamvis hoc secreto teneantur et ad Congregationem Consistorialem pertineant, nihilominus in Urbe habitualiter non commorantur* (quod utique accidere potest de consultoribus) : *neque unquam directe, nutu, verbo, scriptis aut alio quovis modo et sub quocumque colorato praetextu, etiam maioris boni aut urgentissimae et gravissimae causae, contra hanc secreti fidem quidquam commissurum, nisi peculiaris facultas aut dispensatio expresse mihi a Summo Pontifice tributa fuerit. Denique si supplices libellos, commendationes aut litteras de memoratis negotiis a qualibet persona receperim, sacrae Congregationi rem patefaciam. Sic me Deus* etc.

in S. Congregatione Consistoriali (ibid. *Normae peculiares*, cap. VII, art. II, n. 2) et praesertim, uti supra diximus (cfr. comment. ad can. 239, § 1, n. 1), in Congr. S. Officii.

CAN. 244

§ 1. Nihil grave aut extraordinarium in iisdem Congregationibus, Tribunalibus, Officiis agatur, nisi a Moderatoribus eorundem Romano Pontifici fuerit antea significatum.

§ 2. Gratiae quaevis ac resolutiones indigent pontificia approbatione, exceptis iis pro quibus eorundem Officiorum, Tribunalium, Congregationum Moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque sententiis Tribunalis Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae.

1. *Nihil grave aut extraordinarium*, etc. — Negotia Curiae romanae definienda, aut ordinaria sunt, idest de quibus normae agendi ipsi statutae mentionem faciant, aut extraordinaria ; rursum vero tum haec tum illa laevia aut gravia esse possunt. Est autem fere impossibile positive definire, quaenam negotia gravia habenda sint, aut minus : gravia sane sunt negotia, ad quae dirimenda *Congressus* incompetens est, quaeque ratione gravitatis communi Cardinalium, quibus Congregatio constat, iudicio a iure reservantur (cfr. *Ordo servandus*, etc. *Normae peculiares* passim). Iam vero, sicuti s. Collegium R. Pontificis *senatum*, ita Curia romana cum suis dicasteriis eiusdem R. Pontificis tanquam *forum* habenda est: unde Curia id potest, quod R. Pontifex concedit. Nihil ergo mirum, si ex iure Curia teneatur ad ea in antecessum significanda, quae vel extraordinaria fuerint vel gravioris momenti. Haec ratio quare, quovis mense, omnes dicasteriorum Moderatores tenentur semel aut pluries R. Pontificem adire (cfr. *Annuar. pontif.* Audientiae ordinariae a SS.mo D. N. concéssae).

2. *Gratiae quaevis*, etc. — Gratiae conceduntur praeter vel contra ius commune ; resolutiones eduntur ad normam iuris : illae, dispensationem a iure continent, vel facultatem praeter ius agendi, quae ab Ap. Sede concedi solet ; hae, iuris ad peculiares casus applicationem. Et cum, uti supra diximus, Curia romana nomine et vice R. Pontificis agat, quiquid egerit, ut ratum habeatur, indiget pontificia approbatione, nisi aut directe aut indirecte R. Pontifex dispensaverit. Et revera directe et generaliter dispensat per dispositionem iuris quoad sententias Tribunalium pro foro externo constitutorum, nempe S. Rotae et Ap. Signaturae ; indirecte vero dispensat quoad quasdam gratias ac resolutiones aliorum dicasteriorum, cum Moderatoribus speciales facultates tribuit, idest, ut sine approbatione pontificia agere possint.

CAN. 245.

Controversiam, si qua exoriatur, de competentia inter sacras Congregationes, Tribunalia vel Officia Romanae Curiae, dirimit coetus S. R. E. Cardinalium, quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit.

Itaque ea potestas dirimendi controversias de competentia inter dicasteria Curiae romanae, quam Pius Pp. X per const. *Sapienti consilio* (cap. I, art. II, n. 4) S. Congregationi Consistoriali attribuerat, postmodum per Codicem coetui Cardinalium, singulis vicibus a R. Pontifice designando, concredita est. A die vero 19 maii 1918, bis iam coetus huiusmodi et designatum est et sententiam tulit, idest die 24 martii 1919 circa quaestiones de competentia inter Congregationem Concilii et Congregationem de Religiosis, ac iterum 13 et 27 nov. 1922 circa competentiam Congregationum de Sacramentis, de Religiosis, Concilii, Consistorialis atque de Seminariis ac studiorum Universitatibus.

ART. I.

DE SACRIS CONGREGATIONIBUS

CAN. 246

Singulis Congregationibus praeest Cardinalis Praefectus vel, si eisdem praesit ipsemet Romanus Pontifex, eas dirigit Cardinalis Secretarius ; quibus adiunguntur Cardinales quos Pontifex eis adscribendos censuerit, cum aliis necessariis administris.

1. Congregationes, quarum undecim in Codice recensentur, sunt Cardinalium collegia ad certum negotiorum genus, forma generatim non iudiciali expediendum, permanenter constituta. Earum potestas iurisdictionis duplex est : ordinaria, quam habent a iure ; delegata, quam forte R. Pontifex praeter vel contra ius tribuerit. Sed ordinaria iurisdictio Congregationum, sicut et aliorum dicasteriorum Curiae romanae, plena non est : carent enim potestate tum iudiciaria tum praesertim legislativa. Carent potestate iudiciaria, et ideo, si qua causa disceptationem et definitionem iudicialem exigit, ad competens Tribunal transmittere debent (cfr. can. 249 § 3, 250 § 5, 251 § 2). Praeterea carent potestate legislativa, imo etiam potestate ius commune authentice interpretandi. Ait namque Benedictus Pp. XV, motu-propr. *Cum iuris* (15 sept. 1917): *Sacrae Romanae Congregationes nova decreta generalia iamnunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas suadeat* (ibid. II). Tum vero, si edendum decretum a *Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de eiusmodi*

discrepantia moneant (ibid. III). Et antea: *Consilium seu Commissionem, uti vocant, constituimus, cui uni ius erit Codicis authentice interpretandi* (ibid. I). Si igitur vetitum est Congregationibus, R. Pontifice in antecessum non monito, idest sine speciali R. Pontificis mandato, aliquid contra ius commune generaliter constituere, proculdubio potestate legislativa carent; si unius Commissionis est Codicem authentice interpretari, profecto potestas huiusmodi aliis omnibus praeciditur. Non restat igitur, ut idem Pontifex ait (ibid. II), nisi *curare ut Codicis praescripta religiose serventur* atque « *instructiones* », *si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant* et quidem ita, *ut* (haec nempe instructiones) *non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum.* Quoad vero Codicis interpretationem, non relinquitur Congregationibus, nisi facultas *resolutiones* edendi, quibus canones utique interpretantur, sed in quantum ad casus particulares referuntur, ita ut resolutiones inter partes tantummodo ius faciant, nisi iteratae in stylum Curiae transierint. Excipiendae tamen sunt, ob rationem oppositam, Congregationes Rituum et pro Ecclesia Orientali, nisi de legibus agatur, quae Codice continentur (cfr. can. 1 et 2).

2. Quoad modum procedendi Congregationum distinguendum est duplex genus negotiorum. *Solutio dubiorum omnium aut quaestionum de iure interpretando; examen controversiarum ordinis administrationem ac disciplinam spectantis per se vel ob adiuncta graviorum; disceptatio de gratiis ac facultatibus maioris momenti per se vel ratione modi insuetis; acta denique omnia publici ordinis,* coetui Cardinalium Congregationi adscriptorum (vel, uti vulgo dicitur, *Plenariae*) reservantur (*Ordo servandus* etc. *Normae peculiares*, cap. II, n. 1). Contra, *ea preparare, quae ad plenam Congregationem* (idest ad *plenariam*) *erunt deferenda; deliberata exequi post approbationem Summi Pontificis; eadem casibus aptare similibus, ubi res perspicua sit, obvia, nullique obiecta controversiae; largiri pro potestate a Pontifice Maximo facta facultates, gratias, indulta, quae consueta sint et facilia; providere ut quae in officio geruntur, omnia rite procedant,* scilicet ad normam iuris, haec ad *Congressum* pertinent, nempe ad conventum, quaque hebdomada habendum, Moderatoris cum officialibus maioribus.

3. *Singulis Congregationibus,* etc. — Quare Congregationum Moderator semper est Cardinalis, administri vero, pro Congregationum varietate, vario quoque nomine appellantur. Potestas vero qua Moderator fruitur in officiales, nonnisi dominativa esse videtur, atque ex praestito ab iisdem iureiurando defluere.

Can. 247.

§ 1. *Congregatio S. Officii, cui ipse Summus Pontifex praeest, tutatur doctrinam fidei et morum.*

§ 2. *Iudicat de iis delictis quae sibimet secundum propriam eiusdem legem reservantur, cum potestate has criminales causas videndi non solum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia, si directe ad ipsam delatae fuerint.*

§ 3. *Ipsa sola cognoscit ea quae, sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur; itemque ad eam spectat facultas dispensandi in hisce impedimentis. Quare quaelibet huiusmodi quaestio ad hanc Congregationem est deferenda, quae tamen potest, si ita censeat et casus ferat, quaestionem remittere ad aliam Congregationem vel ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae.*

§ 4. *Ad eandem pertinet non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos, si oportuerit, prohibere, et dispensationem concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda, et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere eaque Sanctae Sedi denuntiare, ad normam can.* 1397.

§ 5. *Ipsa una competens est circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt.*

1. *Sacra Congregatio S. Officii, cui* etc. — Est haec Congregatio princeps, cum fidei et morum doctrinam tueatur; eam nempe fidei atque morum doctrinam, circa quam iure divino versatur ipsa infallibilitas pontificia. Nec tamen ullimode ad S. Officium pertinet eiusmodi praerogativa, cum et personalis sit R. Pontifici et potestatem legislativam requirat, qua haec, sicuti et ceterae Congregationes, post promulgationem Codicis, omnino caret. Nihilominus, ob eius munus doctrinale, patet, S. Officii placita et summa auctoritate pollere et, nedum obedientiam, verum etiam mentis consensum expostulare. A Paulo Pp. III per const. *Licet ab initio* (21 iul. 1542) erecta est, eique Benedictus Pp. XV per motupr. *Alloquentes* (25 mart. 1917) commisit quoque censuram librorum, quae usque tum ad suppressam Congregationem Indicis, a Pio Pp. V constitutam, pertinebat. Demum, ex S. Congregationis munere descendit, esse eius potestatem universalem, tum ratione territorii quum ratione personarum, (*Ordo servandus* etc. *Normae peculiares* C. I, n. 1, *a*), et ideo Ecclesiam quoque Orientalem comprehendere, exceptis tantummodo Principibus saecularibus, Cardinalibus, Legatis Ap. Sedis, atque Episcopis (can. 1557, § 1, n. 1). Unde etiam nihil mirum, quod huius supremae Congregationis praesidentiam R. Pontifex sibimet ipsi reservaverit.

2. *Iudicat de iis delictis*, etc. — Tuetur igitur Congregatio S. Officii fidei morumque doctrinam. Quare competentia eius complectitur quidquid doctrinae huiusmodi strictius connexum est: ideoque ad hanc Congregationem spectat doctrinam fidei proponere ac declarare, dubia solvere et, si quid contra dictum aut peractum fuerit, iudicare atque condemnare. Quapropter eius est in primis, videre de delictis contra fidem, veluti apostasiae, haeresis, schismatis, magiae, sortilegii etc.; aut de delictis, quae haeresis suspicionem secum ferant, veluti est cum haereticis cooperatio aut *in divinis* communicatio (can. 2316); pactio ante matrimonium de prole extra Ecclesiam educanda (can. 2319, § 1, n. 2); liberorum baptizandorum oblatio ministris acatholicis (ibid., n. 3) eorumve traditio, uti acatholice educentur (ibid., n. 4); specierum consecratarum abiectio, ad malum finem abductio aut retentio (can. 2320); a placitis R. Pontificis ad Concilium oecumenicum appellatio (can. 2332); per annum, obdurato animo, in censura excommunicationis permansio (can. 2340, § 1); simoniaca sacramentorum ministratio vel receptio (can. 2371); aut de delictis, quae peculiarem gravitatem prae se ferant, veluti ad turpia sollicitatio ad normam can. 904 (can. 2368) vel legis ieiunii eucharistici, de quo infra, ad normam can. 2322 transgressio. Has autem causas iudicat, nedum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci aut Ordinis religiosi, ad quod in prima instantia fuerint delatae, verum etiam in prima instantia, si ad ipsam directe delatae fuerint. Est autem tunc modus procedendi huius Cogregationis plane peculiaris et varius pro singulis delictis, semper tamen *inquisitorius* ac, pronti materiae natura expostulat, arctissimo secreto obtectus (cfr. comm. ad can. 239, § 1 n. 1).

3. *Ipsa sola cognoscit*, etc. — Deinde ad hanc Congregationem pertinent, quia et ipsa cum doctrina fidei stricte connexa, ea omnia quae respiciunt *privilegium Paulinum*, ius nempe partis catholicae innocentis, quae cum infideli sine impedimenti dispensatione (can. 1120 § 2) contraxerit, novas nuptias, *servatis servandis*, cum persona catholica contrahendi (can. 1123); aut matrimonii impedimenta ex capite disparitatis cultus vel mixtae religionis. Quae tamen causae matrimoniales, si res ferat, devolvi possunt ad aliam Congregationem, veluti Congregationi de disciplina Sacramentorum, vel ad Tribunal S. Rotae. Quod si impedimenta, de quibus agitur, occulta fuerint, res non ad hanc Congregationem, sed ad S. Poenitentiariam deferenda est (can. 1031 § 2 n. 1).

4. *Ad eandem pertinet non solum delatos sibi libros*, etc. — Tertio, et consequenter, ad Congregationem S. Officii spectat censura librorum, diariorum, foliorum ac libellorum periodicorum, quae aliquid contra doctrinam fidei vel utcumque a fide moribusve christianis absonum, contineant, sive ei delata fuerint, sive per semet ipsa ex officio nota digna repererit. Cumque huius negotii universi supremae partes huic Congre-

gationi a iure reserventur, eius est Ordinarios, tum saeculares tum regulares, exempto ad suum hac in re officium implendum incitare.

5. *Ipsa una competens est* etc. — Demum huic S. Congregationi deferendum est quidquid pertinet ad ieiunium eucharisticum a sacerdotibus Missam celebraturis servandum; non ideo id quod ad idem ieiunium pertinet, ad sacram communionem requisitum: tum enim ieiunii eucharistici lex, Congregationem de Religiosis (can. 251 § 3) aut de Sacramentis (can. 249 § 2) respicit, prouti persona, qua de agitur, religiosa est aut minus. Quare autem hac de re *una competens sit* Congregatio S. Officii, habes in recenti eiusdem Congregationis decreto *Optime novit*, 22 mart. 1923 de legis ieiunii eucharistici relaxatione, in quo circa finem haec reperiuntur: *Gravissimae demum huius legis relaxationem solum concedendam esse... quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem.* Quocirca et Gasparri (*De sanctiss. Eucharistia* n. 438) ait: *In sacerdotem qui non ieiunus celebrat... poenae latae sententiae in iure statutae non sunt; at gravissimum sacrilegii peccatum Superior ecclesiasticus plectere potest ac debet poenis, quas opportunas iudicaverit*, (cfr. can. 2321). Scilicet, agitur de *lege gravissima*, quam qui praetermiserit, reus est *gravissimi sacrilegii*. Quamvis igitur non videatur sacrilegium huiusmodi, cum Codex id minime decernat, haeresis suspicionem secumferre, esse tamen non potest, quin videatur ab hac suspicione haud longe distare, qui huiusmodi delictum patraverit, et ideo patet, non immerito esse negotium Congregationi S. Officii, etiam a Codice nostro, exclusive concreditum.

Can. 248.

§ 1. *Congregationis Consistorialis Praefectus est ipse Romanus Pontifex. Praeter alios ad eandem pertinet ex officio Cardinales Secretarius S. Officii, Praefectus Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum et Secretarius Status. Inter Consultores eiusdem semper sunt Assessor S. Officii, Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis et Secretarius Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum.*

§ 2. *Ad hanc Congregationem spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea, in locis Congregationi de Prop. Fide non obnoxiis, novas dioeceses ac provincias et capitula tum cathedralia tum collegialia constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores Apostolicos, Coadiutores et Auxiliares Episcoporum constituendos proponere, canonicas inquisitiones seu processus super promovendis indicere actosque diligenter expendere, ipsorum periclitari doctrinam, salvo praescripto can.* 255.

§ 3. *Ab hac Congregatione dependent ea omnia quae pertinent ad constitutionem, conservationem et statum dioecesium. Quare ipsa vigilat super im-*

pletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur ; cognoscit ea quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium ; indicit visitationes apostolicas examinatque eas quae fuerint absolutae, transmissis in utroque casu ad singulas Congregationes iis ad deliberandum negotiis quae ad eas peculiariter pertinent.

1. *Congregationis Consistorialis Praefectus* etc. — Ratio, quare inter Cardinales et consultores, ad hanc Congregationem pertinentes, ex iure recensentur Cardinales et officiales quorundam aliorum dicasteriorum, requirenda est in naturali connexione finium : siquidem cum incremento dioeceseon, cui consulere, uti postea videbimus, est finis praecipuus Congregationis Consistorialis, intime connexi sunt fines horum dicasteriorum, nempe quod fides et mores sarta tectaque serventur ; quod relationes auctoritatis ecclesiasticae cum civili auctoritate pacificae sint ; quod denique tum clericorum tum saecularium institutio, in qua quodammodo positum est vitae ecclesiasticae atque christianae fundamentum, rite perficiatur.

2. *Ad hanc Congregationem spectat* etc. — Instituta est haec Congregatio a Sixto Pp.V per const. *Immensa aeterni* (22 ian. 1588) in hunc finem, ut negotia quae in sacro Consistorio erant agenda, antea accurate perpenderet. Haec origo et competentiae limites primitus constituti. Sed modo, maxime per Pii Pp. X const. *Sapienti consilio* (29 iun. 1908), eius potestas latius patet. Primum agitur, huius Congregationis est, ea parare, quae agenda sunt in Consistoriis. *Sacrum Consistorium*, ait Wernz (*Ius decret.* II, n. 657), *ex vigente Ecclesiae disciplina est sollemnis conventus totius Collegii Cardinalium in Curia praesentium coram R. Pontifice, ad consultationem vel definitivam sanctionem quorundam gravissimorum negotiorum ecclesiasticorum vel ad peragendos pro dignitate R. Pontificis solemnissimos quosdam actus, exclusis tamen disceptationibus iudicialibus.* Si igitur sacrum Consistorium strictiore significatione accipiatur, ad hoc convocatur a R. Pontefice, uti quaedam gravissima Ecclesiae negotia expediantur, ita dicam, *videntibus omnibus*, idest omnibus Cardinalibus, qui in Curia reperiuntur, cum suffragio, prouti decet R. Pontificis Senatum, consultivo. Quod si negotia non sunt ita gravia, a singulis S. Sedis dicasteriis expediuntur. Itaque ea parare quae agenda sunt in Consistoriis, ad Congregationem pertinet, quae inde *Consistorialis* est appellata. Cumque negotia huiusmodi diversissima esse possint, inde patet, oportere Corgr. Consistorialem, hac in re, prouti casus ferat, huius vel illius dicasterii, ad quod agendum negotium spectat natura sua, opera uti. Hic primus huius S. Congregationis finis : et hoc sensu potestas Congregationis nullis limitibus, nec territorialibus nec personalibus, nec rerum agendarum, adstringitur. Sed praeterea est alter, et quidem in praxi principalior : id omne curare, quod ad dioeceses, *qua tales*, pertinet. Et hoc sensu huius dicasterii potestas

certis finibus continetur: finibus territorialibus, quia excipiuntur territoria (et sunt amplissima, cum totam fere Africam et Asiam, praeter alias regiones, comprehendant) Congregationi de Prop. Fide obnoxia ; finibus personalibus, quia excipiuntur dioeceses personales ex Orientalibus constitutae, ubicumque reperiantur ; denique finibus rerum agendarum, idest obiecto suo, per quod a competentia aliorum dicasteriorum, sed praesertim S. Congr. Concilii, eius competentia quam maxime restringitur. Quocirca animadvertendum est, eundem esse, ita dicam, competentiae utriusque Congregationis obiectum, nempe dioecesim, sed alia atque alia ratione. Siquidem Congr. Consistorialis dioecesim considerat, qua dioecesis est ; dum Congr. Concilii eandem considerat, qua personarum singularium, tum moralium tum physicarum, constituitur. Quidquid igitur directe respicit personas qua tales, huius ; quidquid vero personas directe respicit, qua dioecesim cum territorio constituunt, illius potestati subest. Quo principio usus est coetus Cardinalium, ad normam can. 245 a R. Pontifice nuper designatus, ad quasdam quaestiones de competentia dirimendas, in sua responsione III, data 13 et 27 nov. 1922. Itaque, Congregationis Consistorialis est in primis, dioeceses, ac proinde provincias ecclesiasticas, constituere et constitutas dividere ; deinde capitula, sive cathedralia sive etiam collegialia, quae dioecesis sunt praecipuae personae morales, itemque capitulorum dignitates erigere atque supprimere ; denique Episcopos, eosque, qui ex parte vel ex toto Episcopi residentialis locum tenent, constituendos proponere ac ea omnia peragere, quae ad hoc ex iure praerequiruntur.

3. *Ab hac Congregatione dependent*, etc. — Dioecesi ita constituta, a Congr. Consistoriali consequenter ea omnia dependent, quae ad eius conservationem et statum pertinent. Quare, cum status dioecesis ab Episcopi agendi ratione maxime pendeat, cum videlicet (nec mihi videor exaggeratione laborare) talis dioecesis sit, qualis Ordinarius, inde etiam huius Congregationis est, vigilare super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur ; in iisdem si casus ferat, dispensare (cfr. *Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.* Cap. VII, art. II, n. 7) et exinde, cum opus fuerit, visitationes apostolicas indicere atque ea, quae relata fuerint, examinare et ad normam iuris providere. Huc etiam pertinent relationes quinquennales Ordinariorum (cfr. can. 340), quibus in expendendis, sicut etiam in examinandis relationibus visitatorum, Congr. Consistorialis aliarum Congregationum, prouti quaeque relata res natura sua postulaverit, opera utitur. Ex iis, quae huc usque diximus, patet, maximi momenti esse pensum huius Congregationis, ac merito ei ipsum R. Pontificem praeesse : siquidem, quoad amplissimam Ecclesiae partem, negotia curat, quibus, si exceperis causas fidei, maiora non sunt. Inde etiam ratio secreti, quod hac in Congregatione, perinde ac in Congr. S. Officii, peculiariter servandum est (cfr.comm. ad can. 243, n. 1).

CAN. 249.

§ 1. *Congregationi de disciplina Sacramentorum proposita est universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis S. Officii circa ea quae in can. 247 statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa ritus et caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.*

§ 2. *Ad illam itaque spectant ea omnia, quae decerni concedique solent tum in disciplina matrimonii, tum in disciplina aliorum Sacramentorum nec non in celebratione Sacrificii Eucharistici, iis tantum exceptis quae aliis Congregationibus reservata sunt.*

§ 3. *Ipsa cognoscit quoque et exclusive de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia causarum ad dispensationem concedendam, nec non de iis omnibus, quae cum his sunt connexa. Potest tamen cognitionem horum omnium, si id expedire iudicaverit, ad Sacram Romanam Rotam remittere. Pariter ad eam deferri possunt quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat. Eodem modo ad ipsam pertinet videre de obligationibus ordinibus maioribus adnexis, atque examinare quaestiones de ipsa validitate sacrae ordinationis, aut eas ad tribunal competens remittere. Et ita porro de aliis Sacramentis.*

1. *Congregationi de disciplina Sacramentorum*, etc. — Erecta est haec Congregatio a Pio Pp. X per const. *Sapienti consilio* (29 iun. 1908), ut ea omnia negotia expediret de disciplina sacramentorum, quae prius erant inter varia dicasteria dispersa. Est autem ita constituta, ut, ratione territorii et quoad negotia suae competentiae, nullis finibus coarctetur eius potestas ; ratione vero personarum, praeterquam Congregationis pro Ecclesia Orientali, coarctetur quoque potestate Congregationis de Religiosis, si agatur de dispensationibus concedendis (can. 251, § 3) ; demum, ratione negotiorum, coarctetur potestate Congregationis S. Officii, tum quoad doctrinam catholicam de sacramentis, tum quoad *Privilegium Paulinum*, impedimenta matrimonialia disparitatis cultus et mixtae religionis, tum quoad ieiunium eucharisticum ad Missae celebrationem (can. 247, § 1, 3 et 5) ; potestate, qua in suos subditos fruitur Congregatio de Prop. Fide quoad omnia sacramenta, matrimonio excepto (can. 252, § 4) ; denique potestate Congregationis sacrorum Rituum, quoad ritus et caeremonias sacramentorum. Speciatim vero animadvertendum est, potestatem *concedendi presbyteris* (nempe saecularibus), *dispensationem ab irregularitate ex delicto, ad S. Congregationem Concilii reservari* (S. Congr. Consist. 28 nov. 1911). Ex his patet quaenam negotia, ad provinciam Congregationis de Sacramentis per se pertinentia, ut Legislator ait in paragrapho secunda huius canonis, sint aliis Congregationibus reservata.

2. *Ad illam itaque spectant*, etc. — Intra limites, quos nuper definivimus, late patet potestas Congregationis de Sacramentis. Eius namque est, dispensationem concedere ab impedimentis matrimonialibus tum minoribus (cfr. can. 1042), tum quoque (duobus, de quibus supra, exceptis) maioribus, quae solent ab Ecclesia dispensari, nempe *ab impedimentis consanguinitatis et affinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis et secundi vel tertii gradus primum attingentis*, sicut etiam *ab impedimento criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii* (cfr. *Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.*, Cap. VII, art. III, n. 20). Praeterea, huius Congregationis competentiae reservantur *separatio coniugum, sanationes in radice, natalium restitutiones, dispensationes super matrimonio rato*, etc. (ibid., n. 11).

3. *Ipsa cognoscit quoque*, etc. — Itaque haec Congregatio cognoscit quoque de facto inconsummationis matrimonii, de eiusque validitate. Haec tamen saepe ad S. Rotam remittit, ut ordine iudiciario adhibito, diligentius dirimi possint. Quoad cetera vero sacramenta, ad hanc Congregationem pertinet videre de validitate susceptionis, necnon de obligationibus ordinibus maioribus adnexis, ac dispensationes opportunas concedere. Ita ex. c. quoad sacramentum Ordinis dispensat super aetatis vel canonici tituli defectu (ibid. n. 12), super irregularitatibus, nempe *ex defectu* (ibid. n. 11, *b*), et aliis huiusmodi. Ita etiam, quoad sacramentum Eucharistiae, facultatem concedit eam asservandi in templis aut sacellis hoc iure carentibus; celebrandi sacrum in sacellis privatis, ac cetera indulta, quae hac in re concedi solent; erigendi altare ad litandum sub dio; celebrandi ante et post tempus iure communi (can. 821) praestitutum; legendi, praeter ius commune (ibid.), Missam feria V *in Coena Domini*, itemque tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione sanctissimae Eucharistiae; utendi pileolo vel ficto capillo in celebratione Missae aut in Eucharistia deferenda; coeco aut coecutienti, ut litare possit, cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis; celebrandi sacrum in navibus; Episcopum consecrandi extra dies in *Pontificali Romano* statutos; sacros ordines extra tempora conferendi; eximendi fideles, qui ad religionem non pertineant (cfr. respons. Coetus Cardinal. pro competentiis, 13 et 27 nov. 1922, I), a lege ieiunii eucharistici ad sanctissimam Eucharistiam suscipiendam (cfr. *Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.*, Cap. VII, art. III, n. 10).

CAN. 250.

§ 1. *Congregationi Concilii ea pars negotiorum est commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur.*

§ 2. *Quamobrem ipsius est curare ut christianae vitae praecepta serventur, cum facultate opportune ab eisdem fideles dispensandi; moderari*

quae parochos et canonicos spectant ; aut quae pias sodalitates, pias uniones (etiamsi dependeant a religiosis vel erectae sint in eorum ecclesiis seu domibus), pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, mobilia et immobilia, tributa dioecesana, taxas Curiarum episcopalium aliaque huiusmodi attingunt. Eidem reservata est facultas eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectat ; admittendi ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiastica, etiam pertinentia ad religiosos ; permittendi ut fideles acquirant bona ecclesiastica, a potestate civili usurpata.

§ 3. *Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent, itemque de controversiis circa praecedentiam, salvo iure Congregationis de sodalibus religiosis et Congregationis Caeremonialis.*

§ 4. *Ad eandem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad Episcoporum coetus seu conferentias referuntur, extra loca quae subsunt Congregationi de Prop. Fide.*

§ 5. *Est autem haec Congregatio competens in omnibus controversiis negotia eidem commissa spectantibus, quas in linea disciplinari pertractandas censuerit ; cetera ad tribunal competens sunt deferenda.*

1. Praestantissimi huius dicasterii, cui tantum debet canonica iurisprudentia, origines in Pii Pp. IV, motu-pr. *Alias nonnullas* (2 aug. 1564) inquirendae sunt. Cum enim esset Trid. Concilium ab octo circiter mensibus absolutum, animadvertens Pontifex, *parum esse iura condere nisi sint qui ea executioni demandari faciant* (ibid., § 1), coetum Cardinalium octo, quos inter erant Card. Ghislieri et Card. Borromeo, constituit, eique commisit, ut eiusdem Concilii decreta, *iuxta tenores eorum* (idest praecisa quavis interpretandi facultate), *firmiter observari facerent* (ibid.). Quem coetum, auctum postea facultate interpretandi, Sixtus Pp. V per const. *Immensa aeterni* (22 can. 1588), in stabilem Congregationem, potestate quoque ampliata, constituit, sub nomine *S. Congregationis Cardinalium S. Conc. Tridentini interpretum.* Denique Pius Pp. X per const. *Sapienti consilio* (29 iun. 1908), multis ex eius negotiis ad alias Congregationes translatis, huius Congregationis potestatem diligentius circumscripsit : nec tamen voluit veteri praeclarissimo nomine expoliari.

2. *Congregationi Concilii ea pars negotiorum*, etc. — Huic igitur Congregationi commissa sunt negotia, *quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani referuntur.* In specie vero quaenam sint haec negotia, Legislator per summa capita in paragrapho altera recenset. Hoc primum negotiorum genus : sed relativa potestas Congregationis non est exclusiva. Siquidem idem potest in sibi subditos, nedum Congregatio pro Ecclesia Orientali, verum etiam Congr. de Prop. Fide (can. 252) et, paucis exceptis, Congr. de Religiosis (can. 251).

3. *Videt quoque de iis omnibus quae ad immunitatem ecclesiasticam*, etc. — Immunitatis ecclesiasticae nomine, venit ius, quo Ecclesiae personae, res, loca quaedam certis oneribus, quae civibus eorumque rebus et locis communia sunt, eximuntur, veluti clerici a potestate fori saecularis, (can. 120), a servitio militari aliisque civilibus muneribus et officiis a statu clericali alienis (can. 121), necnon ab obligatione satisfaciendi creditoribus ultra id quod fert privilegium *competentiae* (can. 122); veluti etiam res quaedam, ex. c. sacramenta ac sacramentalia a communibus tributis, aut eleemosynae Missarum, etc. a legitima praescriptione (can. n. 1509) aut ecclesiarum ac coemeteriorum (can. 1160) a communibus rerum immobilium oneribus. Hae immunitates tum tantum ad Congr. Concilii spectare videntur, cum agitur de personis, rebus, locis ad clerum saeculare pertinentes; secus namque negotium videtur ad Congr. de Religiosis spectare, cum immunitas ecclesiastica ad eorum privilegia pertineat (cfr. can. 251). Idque etiam, ni fallimur, dicendum est de personis, rebus, locis Congregationi de Prop. Fide subiectis, ad normam can. 252, § 4 et 5; et *a fortiori* de Congregatione pro Ecclesia Orientali ad normam can. 257, § 2. Controversiae quoque de praecedentia disciplinari (non liturgica), sicut et ea omnia, quae ad Conciliorum et conventuum episcopalium celebrationem recognitionemque referuntur, videntur ad Congregationem Concilii intra eosdem fines pertinere. Quod si controversias quasdam censuerit ordine iudiciario posse utilius tractari, ad competens tribunal deferre debet.

4. Neque sunt praetereundae responsiones a coetu peculiari Cardinalium, ad normam can. 245 constituto, die 13 et 27 nov. 1922 datae de competentia Congregationum, quibus, inter alia, declaratum est, Congr. Concilii esse competentem *ad decernendum circa ea, quae respiciunt sacerdotes, sive alumnos, sive magistros, in scholis laicalibus; necnon associationes inter clerum, earumque foederationem.* Denique Pius Pp. XI, per motu-prop. *Orbem catholicum* nuper (29 iun. 1923) editum, apud hanc Congregationem *peculiare Officium* instituit, *quo velut instrumento utatur Apostolica Sedes ad urgendam toto orbe terrarum obtemperationem suis legibus de populo christianae doctrinae praeceptis erudiendo: cuius Officii sit universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere.*

CAN. 251.

§ 1. *Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita ea sibi exclusive vindicat quae respiciunt regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia religiosorum sodalium utriusque sexus tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictorum, eorumque qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque tertiorum Ordinum saecularium, incolumi iure Congregationis de Propaganda Fide.*

§ 2. *Quapropter, quaestionibus ordine iudiciario tractandis ad tribunal competens remissis et incolumi semper iure Congregationis S. Officii et Congregationis Concilii circa negotia ad ipsas spectantia, haec Congregatio quaestiones omnes suae competentiae in linea disciplinari dirimit; sed si quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam, ipsa, praesertim ad instantiam partis, potest quoque, si aequum iudicaverit, eandem quaestionem ad aliam Congregationem aut tribunal remittere.*

§ 3. *Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis, firmo praescripto can.* 247, § 5.

1. Cum Pius Pp. X per suam celeberrimam const. *Sapienti consilio*, Congregationem negotiis religiosorum sodalium praepositam instituit, tres simul Congregationes suppressit, quae hisce negotiis antea praeficiebantur, nempe *Congr. super negotiis Episcoporum et Regularium* a Sixto Pp. V, a. 1586, *Congr. super disciplina regulari* a. 1695, et *Congr. de statu regularium Ordinum* a Pio Pp. IX a. 1846 institutam.

2. *Congregatio negotiis religiosorum sodalium* etc. — Amplissima est huius Congregationis potestas, quae cum non sit territorialis sed personalis, ubique exercetur. Sed, ratione personarum, eius potestas coarctatur, nedum a Congr. pro Ecclesia Orientali (can. 257, § 1 et 2), sed etiam a Congr. de Prop. Fide, a qua religiosi missionarii, qua missionarii sunt, dependent (can. 252, § 5). At etiam ratione negotiorum eius potestas aliquatenus coarctatur tum, uti patet, a Congr. S. Officii quoad doctrinam fidei et morum ac consequentes causas haeresis, censuram librorum et ieiunium eucharisticum ad Missam celebrandam (can. 247); tum a S. Congr. de Sacramentis, ad quam spectant, propter earum peculiarem characterem, causae contra sacram ordinationem (can. 1993, § 1), uti coetus Cardinalium ad normam can. 245 constitutus, nuper (13 et 27 nov. 1922) respondit; tum quoque a S. Congr. Concilii quoad pias uniones a religiosis dependentes atque bona e religiosorum patrimonio a civili auctoritate distracta. His exceptis, potestas Congregationis de Religiosis in sibi subditos, nempe in omnes qui vel votis religiosis adstricti sunt, aut saltem more religiosorum in communi vitam agunt, vel ad tertios Ordines regulares spectant, est exclusiva *in omnibus*, ut ait Wernz (*Ius decret., II*, n. 665) *quae ad vitam religiosorum in omni suo ambitu pertinent*, idest ad eorum regimen, disciplinam, studia, bona, privilegia; imo si agatur de dispensationibus a iure communi, quaecumque sit dispensatio qua de agitur, uno ieiunio eucharistico ad Missam celebr andam excepto (can. 547, § 5), quoad sibi subditos eius potestas a nulla alia Congregatione coarctatur. Hinc, cum esset quaesitum, num facultas concedendi sodalibus religiosis, utriusque sexus, dispensationem super lege ieiunii eucharistici ad sacram Synaxim recipiendam, pertineat ad Congr. de Sacramentis an potius ad Congr. de Religiosis: a coetu Cardinalium, de quo supra, pro hac Congregatione responsum est.

CAN. 252.

§ 1. *Congregatio de Propaganda Fide missionibus ad praedicamdum Evangelium et catholicam doctrinam praeest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna.*

§ 2. *Curat ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem in locis sibi subiectis pertinent.*

§ 3. *Eius iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Huic Congregationi sunt etiam subiectae regiones, quae etsi hierarchia inibi constituta sit, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt. Eidem pariter subsunt societates ecclesiasticorum ac Seminaria quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus, praesertim quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas.*

§ 4. *Haec autem Congregatio tenetur ad competentes Congregationes deferre negotia quae aut fidem attingunt, aut causas matrimoniales, aut generales normas circa sacrorum rituum disciplinam tradendas vel interpretandas.*

§ 5. *Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos, tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos, attingit, ad Congregationem religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.*

1. *Congregatio de Propaganda Fide missionibus* etc. — Dicasterium huiusmodi, a Gregorio Pp. XV per const. *Inscrutabili*, 22 iun. 1622 erectum, *missionibus* praeest quae ad praedicandum evangelium infidelibus, aut haereticis catholicam doctrinam, adlaborant. Hinc, intra fines suae competentiae eius iurisdictio duplex : alia territorialis, alia personalis. Prior comprehendit regiones illas, idest Vicariatus ac Praefecturas apostolicas, in quibus sacra hierarchia nondum constituta est, aut in quibus constituta hierarchia, idest erectae dioeceses, adhuc inchoatum aliquid praesefert (1); altera respicit societates ecclesiasticorum ac Seminaria quae,

(1) Quocirca Pius Pp. X, const. *Sapienti consilio* (29 iun. 1908, § 1, n. 6, 3) : *Itaque a iurisdictione Congregationis de Prop. Fide exemptas et ad ius commune* (quod nempe proprium est provinciarum ac dioeceseon hierarchice constitutarum) *deductas decernimus : in Europa, ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae et Hollandiae ac dioecesim Luxemburgensem ; in America, provincias ecclesiasticas dominii Canadensis, Terrae Novae et Foederatarum Civitatum.* Congr. vero Consistorialis, rogata: *Se i Vicariati Apostolici che fanno parte, come suffraganei, di provincie ecclesiastiche staccate dalla giurisdizione di Propaganda in virtù della citata Costituzione, sieno tuttora soggetti alla stessa Propaganda,* respondit (12 nov. 1908, ad I) : *Affermativamente.*

extra supra dicta territoria, exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus, cuiusmodi e. c. sunt, praeter Collegium urbanum de Prop. Fide, societas Missionariorum Africae, vulgo *Pères Blancs* (cfr. S. Congr. Consist. in *Romana*, 15 mars 1910), Societas Lugdunensis pro missionibus ad Afros, societas Parisiensis pro exteris missionibus, Seminarium Mediolanense S. Caloceri, Pont. Seminarium SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe (cfr. *Romana*, 10 dicembre 1909).

2. *Haec autem Congregatio tenetur* etc. Itaque intra fines sui territorii, exceptis semper Orientalibus, potestas Congregationis de Propaganda Fide est fere exclusiva : excipiuntur tantummodo causae fidei, causae matrimoniales et sacrorum rituum disciplina, quibus in negotiis competentes sunt Congregationes S. Officii, de Sacramentis et Rituum. Quoad vero hoc postremum negotiorum genus, praetermittenda non est responsio S. Congr. Consistorialis, data 12 nov. 1908. Cum, nempe, quaesitum esset : *Dovendo la S. Congregazione di Propaganda deferire alla Sacra Congregazione dei Riti « quaecumque attingunt sacrorum rituum disciplinam », si chiede se questa ordinazione si riferisca alla disciplina dei Riti, qual'è determinata e circoscritta dalla Costituzione « Sapienti consilio », ovvero si estenda anche a quelle facoltà relative alla Messa, al divino Officio, ecc., che prima si solevano concedere dalla Congregazione dei Riti come anche da quella di Propaganda* — S. Congregatio respondit : *Affermativamente alla prima parte, negativamente alla seconda.* Scilicet ea tantum, nos quod attinet et post promulgationem Codicis, Congr. de Prop. Fide ad S. Rituum Congregationem deferre debet, quae attingunt normas generales (idest leges) liturgicas constituendas vel interpretandas : cetera per se ipsa expedire potest.

3. *Quod vero spectat ad sodales religiosos*, etc. — Missiones, praesertim apud infideles, plerumque religiosis Ordinibus ac Congregationibus committuntur. Tum vero Missionem committere eamque retractare, sicut etiam iis omnibus, quae ad Missionem spectant, consulere, est Congregationis de Prop. Fide ; contra, ea omnia, quae regimen, disciplinam, studia, bona, privilegia missionariorum qua religiosi sunt, attingunt, moderari perget Congregatio de Religiosis.

CAN. 253.

§ 1. *Congregatio Sacrorum Rituum ius habet videndi et statuendi ea omnia quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura aliaque id genus, de quibus sive servato ordine iudiciario sive in linea disciplinari disceptetur.*

§ 2. *Eius proinde est praesertim advigilare, ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt ; dispensationes concedere opportunas ; insignia et honoris privilegia, tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.*

§ 3. *Denique ea omnia agit quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras reliquias quoquo modo referuntur.*

1. Est haec Congregatio a Sixto Pp. V, per const. *Immensa aeterni*, a fundamentis erecta. Eius vero potestas nullis limitibus coarctatur, ratione territorii ; ratione autem personarum subditarum, nullam habet potestatem in Orientales.

2. *Congregatio sacrorum Rituum ius habet*, etc. — Demum, ratione rerum gerendarum, huius Congregationis competentia ea omnia complectitur, quae ad sacros ritus ac caeremonias spectant, quaeque in *Pontificali romano*, in *Caeremoniali Episcoporum*, in *Rituali*, *Missali*, *Breviario*, *Antiphonario*, *Vesperali* praesertim reperiuntur, non exclusis iuribus praecedentiae, quae *liturgica* dici potest, eius nempe praecedentiae, qua quis gaudet ad normam legum liturgicarum, cum ad altare celebrat vel ministrat. Contra, quaestiones de praecedentia, ita dicam, *personali*, idest e personae statu iuridico defluente, huic Congregationi per const. *Sapienti consilio* ac postea per Codicem subtractae sunt, et Congregationi Concilii, vel, si servato ordine iudiciario dirimenda sint, tribunali S. Rotae commissae. *Ius habet*, ait canon, *statuendi*, etc. Nimirum, proprium est huius Congregationis, sicut etiam Congregationis pro Ecclesia Orientali, circa materiam suae competentiae et in personas sibi subditas, leges ferendi ac proinde etiam leges a se latas authentice interpretandi. Qua tamen in re, eius potestas legislativa aliquatenus coarctatur legibus liturgicis, quae Codice continentur : has namque leges nec ullo modo immutare, nec authentice interpretari potest (cfr. Benedicti Pp. XV, motu propr. *Cum iuris*, 15 sep. 1917, I et II).

3. *Eius proinde est advigilare*, etc. — *Itaque*, ait Pius Pp. X (*Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.* cap. VII, art. 8, n. 2), *cum huius Congregationis proprium sit munus curandi, ut in universa Ecclesia latina sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis ; idcirco debet* : a) *advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiae latinae, eos inspicere, corrigere aut reprobare, salva Sancti Officii competentia in iis, quae fidei dogmata respiciunt ;* b) *excutere atque approbare nova officia divina et calendaria ;* c) *dubia de ritibus iudicare ac dirimere ;* d) *quae hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere.*

4. *Insignia et honoris privilegia*, etc. — Ita haec Congregatio concedere potest Capitulis, aliisve personis ecclesiasticis capacibus, usum pontificalium, insignia choralia aliaque honoris privilegia, quae ad sacros ritus pertineant, idque, intra certos limites, etiam laicis, veluti regalibus personis aut in civili dignitate constitutis, et cavere tenetur, ne hac in re abusus irrepant.

5. *Denique ea omnia agit*, etc. — Hactenus de primo munere Congregationis Rituum; modo de altero, quod in processu beatificationis et canonizationis Servorum Dei consistit. Processus huiusmodi, in quo ordine quodam iudiciali (cfr. can. 1999-2141) Congregatio utitur, perficiendus est *iuxta normas eius rei proprias ac peculiares* (*Ordo servandus*, etc. *Normae peeul.* cap. VII, art. 8, n. 4), dum cetera negotia disciplinari modo pertractat. Tandem ad hanc Congregationem spectant, quae ad sacras reliquias quoquomodo referuntur. Haec prius ad *Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum* pertinebant: modo vero, hac Congregatione per const. *Sapienti consilio* suppressa, eius competentiae obiectum ita partitum est, ut ea quae reliquias respiciunt Congregationi Rituum demandata sint; quae vero indulgentias, tribunali S. Poenitentiariae (can. 258, § 2).

CAN. 254.

Ad Congregationem Caeremonialem pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum et sacrarum functionum quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque eadem Congregatio cognoscit quaestiones de praecedentia tum Patrum Cardinalium tum Legatorum quos variae Nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

Videtur haec Congregatio a Gregorio Pp. XIII instituta fuisse atque a Sixto V postea confirmata per pluries citatam const. *Immensa aeterni*. Eius competentia arctissimis limitibus circumscribitur: non enim, ut Wernz ait (*Ius decr.*, II, n. 669), aliud habet obiectum, quam *caeremonias liturgicas et non liturgicas in Curia romana servandas*. Quoad caeremonias liturgicas, locum tenet S. Congr. Rituum. Caeremoniae non liturgicae respiciunt receptionem regalium personarum aut Legatorum, quos variae Nationes ad Ap. Sedem mittunt; instructiones tribuendas Cardinalibus Legatis *a latere*, necnon Ablegatis pontificiis ac Cardinalibus, quoad litteras suae promotionis renunciatorias mittendas. Et inter hos omnes, quaestiones de praecedentia cognoscit: quocirca, derogat competentiae S. Congr. Concilii.

Can. 255.

Ad Congregationem pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis spectat dioeceses constituere vel dividere et ad vacantes dioeceses idoneos viros promovere, quoties hisce de rebus cum civilibus Guberniis agendum est; insuper Congregatio in ea negotia incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis Nationibus referuntur.

1. *In consistorio*, ait Card. De Luca (*Rel. curiae rom. foren.* etc. disc. V, n. 23), *Papa cum cardinalibus agit de gravioribus Sedis Apostolicae et ecclesiae universalis vel principum spiritualibus ac temporalibus negotiis iuxta eorum qualitatem et circumstantias; quumque non semper expediat de illis publice coram omnibus cardinalibus loqui, hinc isto casu Papa, pro eorundem negotiorum consultatione et directione, aliquorum cardinalium particularem congregationem deputare solet, quae « Status » dicitur; istaque proinde non est congregatio fixa et continua, sicut sunt aliae, de quibus infra, sed in singulis occurentiis particulariter deputari solet, variando in qualibet cardinales aliosque ministros pro negotiorum qualitate vel temporum opportunitate.* His Cardinalium coetibus identidem designatis, Pius Pp. VII, a. 1805 suffecit *Congregationem e negotiis ecclesiasticis extraordinariis.* Hae Congregationis, qua de agimus, origines.

2. Cum Congregatio sit *sui generis*, aliquid speciatim dicendum est de eius constitutione. Scilicet est haec Congregatio cum Officio Secretariae Status intime coniuncta. Et revera, uti postea videbimus, Officium Secretariae Status incumbit publicis Ecclesiae negotiis, iis nempe, in quibus dirimendis, quomodocumque agendum sit cum civili auctoritate; dum cetera Curiae romanae dicasteria in negotiis privatis Ecclesiae versantur, idest in iis, quae intra fines ecclesiasticae potestatis totaliter expediuntur sine contactu cum potestate civili. Sunt vero negotia huiusmodi aut ordinaria aut extraordinaria: illa, absolvit ipsa Secretaria Status per suam secundam sectionem ordinariis negotiis praepositam; haec vero absolvit Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, referente Cardinali Status Secretario aut praeside primae sectionis Secretariae Status, qui simul est Secretarius huius Congregationis. Haec proide propria Secretaria caret, et habenda est veluti corpus consultivum Secretariae Status, eo plane modo, quo Secretaria Status est, quoad negotia extraordinaria, veluti Officium executivum huius Congregationis.

3. *Ad Congregationem pro negotiis* etc. — Ex iis, quae huc usque diximus, iam satis patet, quae sit huius dicasterii competentia, quibusque limitibus haec circumscribatur. Quocirca etiam planum est, constitutionem ac dismembrationem dioeceseon, itemque Ordinariorum nominationem per

tractatum cum civili auctoritate faciendas, esse profecto extraordinaria negotia. Itaque, ut hanc disquisitionem concludamus, dicasterii, quo de agimus, competentia ea tantum negotia, et quidem extraordinaria, comprehendit, quae expediri non possunt, quin agatur cum civili auctoritate; sed, intra hos limites, eius potestas a nulla alia Congregatione aut Tribunali aut Officio Curiae romanae ullimode arctatur.

4. *Praesertim ex illis* etc. — Praesertim: videlicet, praeter negotia de quibus hactenus locuti sumus, possunt a Summo Pontifice per Card. Secretarium Status alia quoque negotia extraordinaria, quae nempe auctoritatem civilem minime respiciant, subiici examini huius Congregationis. Quaenam? Cuiusque generis, dummodo extraordinaria sint. Quod tamen raro contingit.

Can. 256.

§. 1. *Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum vigilat super omnibus quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinet, incolumi iure Congregationis de Prop. Fide. Eidem pariter commissa est moderatio regiminis ac studiorum, in quibus versari debent athenaea seu quas vocant Universitates vel Facultates quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus diriguntur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi normasque tradit quibus ii conferri debeant, et, ubi agitur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.*

§. 2. *In hac Sacra Congregatione connumerantur inter alios Cardinales Secretarius Congregationis Consistorialis et inter Consultores Assessor eiusdem Congregationis.*

1. Inter Congregationes, a Sixto Pp. V per const. *Immensa aeterni* erectas, fuit *Congregatio decima, pro Universitate Studii Romani*, cuius finis et competentia ita a Pontifice circumscribebantur: *Illud etiam cogitantes*, ait, *quod litterarum cognitio liberalesque doctrinae et disciplinae, quibus iuventus in publicis gymnasiis instruitur et eruditur, magnam christianae reipublicae, si cum pietate coniungantur, afferunt utilitatem... ob eam sane causam romani gymnasii eiusque universitatis ornandae curam merito gerimus... Itaque, ut illius rationibus quam optime prospiciamus, cardinales quinque eidem gymnasio et universitati, illiusque reformationi praeficimus. Insuper, cum in hac alma urbe nostra... erecta sint collegia... eisdem cardinalibus iniungimus, ut horum collegiorum alumnos ad litterarum studia ardentiori animo complectenda... omni adhibito studio, excitari curent. Denique, cum in praecipuis christiani orbis partibus sancta haec Apostolica Sedes insignes quasdam universitates... olim in tutelam et clientelam receperit*

suam, nimirum Parisiensem, Oxoniensem, Bononiensem, Salamantinam... nos eidem Congregationi imponimus, ut earundem universitatum... curam gerat. Haec Sixti Pp. V constitutionis pars nunquam abrogata est : quare, inter varias vicissitudines, Studiorum Congregatio, prout ab eodem Pontifice erecta fuerat, ad nos usque substantialiter pervenit. Et Pius Pp. X in const. *Sapienti consilio* substantialiter servavit. Benedictus vero Pp. XV, per motu-propr. *Seminaria clericorum* (4 nov. 1915), *Congregatione de Seminariis et Universitatibus studiorum* a fundamentis erecta, eius curae commisit tum orbis catholici Seminaria (quae prius Congr. Consistoriali subiecta erant), tum Universitates quae ad Congragationem Studiorum, per eundem motu-proprium suppressam, pertinebant. Et haec in Codicem nostrum translata sunt.

2. Sed potestas huius Congregationis, quoad Seminaria dupliciter coarctatur, non quidem ratione territorii, sed personarum. Nam in primis ab eius potestate excipiuntur Seminaria Orientalium (can. 257, § 2) ; deinde Seminaria, quae ad instituendos missionarios pro exteris missionibus exclusive fundata sunt : haec namque subsunt Congr. de Prop. Fide (can. 252, § 3).

4. *Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum*, etc. — Intra limites, quos supra definivimus, haec Congregatio vigilat super omnibus, quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent ; item super üs, quae pertinent ad regimen et studia Universitatum vel Facultatum ab Ecclesiae auctoritate dependentium. De iure autem ab Ecclesiae auctoritate dependent, nedum Universitates et Facultates ab Ecclesia ipsa erectae, veluti, inter recentissimas, Universitas Mediolanensis S. C. ac Facultates in quibusdam praecipuis Seminariis institutae, sed etiam Facultates iuris canonici et praesertim theologiae ac sacrae Scripturae, apud civiles Universitates institutae ab auctoritate civili : non enim iure potest scientia ecclesiastica doceri, quin Ecclesia quemadmodum doceatur invigilet. Unde hac de re saepe actum est in concordatis (1). Quandoque tamen factum cum iure pugnat ; et tum Ecclesia gradus accademicos, his in adiunctis susceptos, non recognoscit. Quae igitur Universitates studiorum vel Facultates ab Ecclesiae aucto-

(1) Non inopportunum existimamus afferre e. g. conventionem, Romae 24 dec. 1889 initam, inter P. Larroca, Magistrum Gen. Ord. Praedicatorum, et C. Decurtins, Reipublicae Elveticae consiliarium, personam gerentem Gubernii cantonalis Friburgensis, circa Facultatem theologicam in Friburgensi Universitate erigendam, in qua conventione haec cauta sunt :

1° Il governo del Cantone di Friburgo, *d'accordo con l'autorità ecclesiastica*, affida all'Ordine dei Domenicani la Facoltà teologica da fondarsi nella nuova Università di Friburgo coll'espressa condizione, che tutti i titolari delle cattedre costituenti la Facoltà predetta siano esclusivamente religiosi dell'Ordine medesimo.

ritate de iure atque de facto dependent, quoad regimen ac studia huic S. Congregationi subsunt, et quidem tum quoque cum Universitas vel Facultas regitur a sodalibus religiosis. Itaque dicasterio, quo de agimus, *competunt condendae novae studiorum Universitates ac Facultates, quibus ius est academicos gradus conferendi ; mutationes maioris momenti in iisdem iam institutis ; cognitio quaestionum in ipsis occurentium de patrimonii administratione, de magistri alicuius decurialis nominatione, de ratione studiorum, et de aliis huiusmodi ; item quae necessario capienda consilia in commune videantur ; postremo iudicium de excellenti aliquo viro academicis gradibus* (nempe a Congregatione ipsa) « *ad honorem* » *decorando* (*Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.*, cap. VII, art. XI, n. 2).

CAN. 257.

§ 1. *Congregationi pro Ecclesia Orientali praeest ipse Romanus Pontifex. Huic Congregationi reservantur omnia cuiusque generis negotia quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant.*

§ 2. *Quare pro Ecclesiis ritus orientalis haec Congregatio omnibus facultatibus potitur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, incolumi tamen iure Congregationis S. Officii ad normam can.* 247.

§ 3. *Haec Congregatio controversias dirimit via disciplinari ; quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio designaverit.*

2° Il R.mo P. Generale si obbliga *di designare* per il 15 ottobre del 1890 i professori delle cinque cattedre seguenti, cioè della dommatica speculativa, della dommatica positiva, della morale, dell'esegesi e della storia ecclesiastica, rimettendo le parti contraenti ad altro tempo da stabilirsi, l'erezione delle rimanenti cattedre della Facoltà coi rispettivi titolari.

3° Il Governo di Friburgo retribuisce ogni professore collo stipendio annuo di L. 2000, ed assume a suo carico le spese di viaggio occorrenti fino a Friburgo. Inoltre il Governo somministra l'abitazione conveniente per i professori come per i frati inservienti.

4° Il R.mo P. Generale si obbliga ancora di mandare tre padri del suo Ordine come membri della Facoltà filosofica dell'Università. Questi padri cominceranno il loro insegnamento al riaprirsi delle scuole subito dopo la Pasqua dell'anno 1890. Per il loro stipendio e spese di viaggio ed abitazione è provveduto come sopra pei professori di teologia.

Le parti contraenti concordano che la presente convenzione non possa essere rescissa, se non previa denunzia di due anni (cfr. GIOBBIO, *Lezioni di diplomazia eccl.*, II, n. 550 in nota).

1. Ad peculiaria Ecclesiae Orientalis negotia expedienda, plures fuerant identidem constitutae Congregationes a Romanis Pontificibus. Has omnes Pius Pp. IX, per const. *Romani Pontifices* (6 ian. 1862) suppressit ac simul novam apud Congr. de Prop. Fide Congregationem erexit, distinctis Cardinalibus, consultoribus, officialibus constantem, cuius competentia, ut ait Pontifex, *omnia Orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei, sive personarum ratione latinos attingant*, complecteretur, *nisi eadem Congregatio negotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei Congregationem deferenda esse interdum existimaverit.* Et res ita dispositas Pius Pp. X, per const. *Sapienti consilio*, confirmavit. Sed Benedictus Pp. XV, per motu-propr. *Dei providentis* (1 maii 1917), animadvertens, ob intimam coniunctionem, quae inter Congr. de Prop. Fide et Congr. pro negotiis ritus orientalis eidem adnexam intercedebat, *aliquos fuisse non bene erga Apostolicam Sedem animatos, a quibus Romani Pontifices arguerentur catholicos Orientales parvi pendere, eosque Latinis velle subiectos*, utque *ex hac re sit manifestum... nullum inter Ecclesiae filios intercedere discrimen*, veteri Congregatione suppressa, novam ac distinctam instituit *S. Congregationem pro Ecclesia Orientali* sub praesidentia ipsius R. Pontificis et cum potestate, qua amplior tribui non poterat. Et huius *motu-proprio* dispositiones, fere ad verbum in Codicem receptae sunt.

2. *Congregationi pro Ecclesia Orientali*, etc. — Facile est huius Congregationis provinciam definire. Causae fidei, etiam Orientalium, itemque ea quae respiciunt privilegium Paulinum, impedimenta matrimonialia disparitatis cultus et mixtae religionis, censuram librorum ac ieiunium eucharisticum ad Missam celebrandam, Congregationi S. Officii reservantur. Cum tamen esset quaesitum : *Se la Congregazione per gli affari di rito orientale, possa continuare a concedere dispense matrimoniali di mista religione e di disparità di culto ;* S. Congr. Consistorialis (12 nov. 1908) respondit : *Affermativamente, fatta eccezione del solo privilegio Paolino, di competenza del S. Officio.* His igitur exceptis, potestas huius Congregationis quoad omnia negotia, quae sibi subditos quomodocumque tangunt, est illimitata vel, ut canon ait, *omnibus Congregatio facultatibus potitur, quas aliae Congregationes*, nempe cumulative sumptae, *obtinent pro Ecclesia Latina ;* breviter, pro Orientalibus Curia romana ad hanc fere Congregationem reducitur. Quae tamen non potest negotia tractare nisi via disciplinari, idest modo *administrativo ;* quare, si quam controversiam iudicaverit esse ordine iudiciario dirimendam, per se solvere non potest et ad potestatem iudiciariam, designato tribunali, mittere debet. Denique, cum ius Ecclesiae Orientalis non sit in Codicem receptum (can. 1), non videtur haec Congregatio subiici dispositionibus motu-propr. *Cum iuris* (cfr. comm. ad can. 246 n. 1); ideoque et potestate legislativa gaudere, et leges a se latas authentice interpretari posse.

ART. II.

DE TRIBUNALIBUS CURIAE ROMANAE

CAN. 258.

§ 1. *Sacrae Poenitentiariae praeficitur Cardinalis Poenitentiarius Maior. Huius tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt ; quare hoc tribunal pro solo foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes ; excutit praeterea quaestiones conscientiae easque dirimit.*

§ 2. *Eiusdem insuper est de iis omnibus iudicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt.*

1. Hactenus de Congregationibus, modo de Tribunalibus Curiae romanae. Et primum de S. Poenitentiaria. Haec inter tribunalia recensetur : eius enim obiectum praecipuum sunt absolutiones et remissiones poenarum (1). *Primordia officii poenitentiariae*, ait Lega (*De iudiciis* II, n. 263) *sunt repetenda a Cornelio Papa a.* 254, *qui constituit poenitentiarios pro « lapsis » absolvendis... In ecclesia romana nonnulli eruditi asserunt*, (e. c. Plettemberg, *Notitia cur. rom.*), *poenitentiarium e cardinalibus fuisse electum iam a Benedicto II* († 685), *sed hoc haud certo constat ; ast ante Gregorium X* († 1276) *poenitentiarium cardinalitia dignitate fuisse auctum eruditi probant, et ipse Pontifex in suis legibus, quibus conclave ordinavit, etiam de cardinali poenitentiario plura decrevit. Avenione Benedictus XII* († 1342) *constitutionem edidit de poenitentiariae officio « In agro dominico universali ecclesiae operarii ». Hinc poenitentiarius seu archipresbyter antiquitus erat Papae adiutor et assessor pro negotiis fori poenitentialis et appositis litteris scribendis.* Hic appellatus est, ab initio saec. XIV et Clementis Pp. V iussu, *Poenitentiarius Maior.* Inter S. R. E. poenitentiarios, celeberrimus fuit S. Raymundus de Peñafort, qui Gregorii Pp. IX authenticam collectionem decretalium Romanorum Pontificum systematica ratione edendam curavit. Plures Pontifices, et praesertim Pius Pp. V ac

---

(1) *Le sceau de la Sacrée Pénitencerie*, ait Grimaldi (*Les Congrégations romaines* chap. 24) *porte à son sommet l'image de la Sainte Vierge, tenant dans se bras son divin enfant. C'est une pensée de misericorde, qui a présidé à la confection de ce cachet..... La Mère du Sauveur est la source de toutes les grâces : nous sommes sûrs de trouver par elle le pardon de nos crimes.*

Benedictus XIV, suis constitutionibus auxerunt minueruntve huius tribunalis potestatem, eam quandoque ad forum etiam externum extendentes. Pius Pp. X per const. *Sapienti consilio*, ad internum forum iterum reduxit ; postea vero Benedictus Pp. XV per motu-propr. *Alloquentes* (25 mart. 1917), *ne S. Officii* (ad quod antea pertinebant) *negotiorum moles nimis cresceret, quidquid ad indulgentias pertinet* S. Poenitentiariae attribuit. Codex tandem nihil immutavit.

2. *Sacrae Poenitentiariae praeficitur*, etc. — Omnino peculiaris est huius tribunalis natura. Et primum, quoad constitutionem. Constat namque hoc tribunal Cardinali praefecto, idest Maiori Poenitentiario, Regente, Praelatis quinque Signaturae (nempe Theologo, Datario, Correctore, Sigillatore et Canonista) Secretario, Substituto et aliquot inferioribus officialibus (cfr. *Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.*, cap. VIII, n. 1). At tota potestas residet in uno Poenitentiario Maiore. Praeterea, ad expedienda negotia indulgentiarum, hoc tribunal distincta sectione utitur, quae variis officialibus et consultoribus constat iuxta morem Congregationum. — Deinde eius iurisdictio coarctatur ad ea, quae forum internum respiciunt. Scilicet, ut antea innuimus (cfr. vol. II, comm. ad can. 196, n. 3), homo legibus et coram hominibus adstringitur et coram Deo, idest *in conscientia :* inde in Ecclesia, praeter forum externum, extat quoque forum conscientiae seu internum. Iam vero coram hominibus nonnisi id valet, quod aut actum aut concessum esse probari potest ; contra, coram Deo quidquid legitime aut actum aut concessum est. Eximere igitur coram Deo a legum obligationibus, idest dispensationem concedere ; aut, deficiente praevia dispensatione, transgressionis poenas vel generatim consequentias condonare, remittere, sanare : officium est tribunalis S. Poenitentiariae. Quare, theorice saltem, eius potestas eo usque pertingit in foro interno, quo potestas aliorum dicasteriorum in foro externo ; in praxi tamen quandoque latius extenditur. — Tertio, hoc tribunal, prout exigit natura fori interni, extraiudicialiter et secreto procedit, certis clausulis et abbreviationibus verborum sibi propriis adhibitis. Insuper *gratis* omnino. Abbreviationes sunt admodum singulares (cfr. Oietti, *De rom. curia*, n. 133). Inter clausulas hae sunt notatu dignae : — 1°) *Audita prius sacramentali confessione*, vel etiam : *In actu sacramentalis confessionis tantum ;* et ex hac clausula exurgit in oratore necessitas ipsi executori confitendi, idque ad validitatem executionis ; — 2°) *Dummodo res non fuerit ad forum contentiosum deducta*, idest dummodo iudex, post citationem partis, causam pertractandam nondum susceperit ; — 3°) *Dummodo res sit occulta*, nempe aut materialiter aut saltem formaliter (cfr. can. 2197, n. 4), etiamsi id per errorem contingat sive facti, sive iuris (cfr. Oietti, ibid., n. 130), imo, si de delicto agatur, post sententiam absolutoriam, quamvis iniustam (ibid.).

3. *Gratias largitur, absolutiones, dispensationes*, etc. — Quoad obiectum competentiae huius tribunalis in primis animadvertendum est, illud in genere versari circa ea iuris capita, in quibus dispensatio, condonatio, remissio, sanatio fuerint a iure Ap. Sedi reservatae ; in specie vero eius facultates sunt praesertim requirendae in Benedicti Pp. XIV const. *Pastor bonus*, 13 apr. 1744 edita, et versantur circa quaestiones conscientiae omne genus, ac praeterea circa censuras et peccata, irregularitates et inhabilitationes, collationes et possessiones beneficiorum, onus restituendi, iuramenta et vota, matrimonii impedimenta, legitimationem prolis aliaque huiusmodi, quae R. Pontifex sibimet ipsi non reservaverit. Est igitur potestas S. Poenitentiariae in foro interno amplissima et, sive ratione territorii sive ratione personarum, a nullo alio Curiae romanae dicasterio ullimode coarctatur.

4. *Eiusdem insuper est de iis omnibus iudicare*, etc. — Sed alia res est, si de indulgentiis agatur, quod munus huic tribunali fuisse a Benedicto Pp. XV concreditum, supra vidimus. Ita namque hac de re loquitur Pius Pp. X : *Ipsius* (idest sectionis de indulgentiis, Congregationi S. Officii tum adnexae) *igitur erit, omnem difficultatem ac dubietatem in indulgentiis emergentem, Romano Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi ; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi ; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi ; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressa recognoscendi et examinandi, ac, ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi ; ac in concedendis indulgentiis moderationem adhibendi.* Iamvero, haec omnia, uti patet, ad forum externum pertinent, et in iis agendis S. Poenitentiaria ad instar Congregationum procedit ac proinde, ut canon ait, eius potestas a potestate S. Officii coarctatur ; nisi et hac de re quidquam ei afferatur ad forum tantum internum pertinens : tum enim procedit more suo peculiari.

CAN. 259.

Causae ordinem iudiciarium requirentes aguntur apud Sacram Romanam Rotam et apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae intra fines et secundum normas traditas in can. 1598-1605, *salvo iure Congregationis S. Officii et Congregationis Sacrorum Rituum in causas sibi proprias.*

1. Modo breviter loquendum est nobis de celeberrimo S. R. Rotae tribunali, de quo Card. De Luca (*Rel. curiae rom. foren.* disc. XXXII, n. 1) ait : *Inter illos Romanae Curiae iudices, qui in forma iudiciali causas contentiosas cognoscunt ac decidunt, primam ac maiorem figuram facit.*

Huius sacri tribunalis origines antiquissimae sunt. Praetermissis iis, qui S. Rotae prima vestigia reperire volunt S. Gregorii M. tempore (a. 590-604), putat Cerchiari (*Cappellani Papae* etc. *seu Sacra Rom. Rota*, I, c. 1-14) hoc tribunal tunc temporis exordia habuisse, cum Lucius Pp. III (a. 1181-1185) decrevit esse in Ecclesia iudicandum *secundum legum* (idest romanarum) *et canonum statuta* (c. 1, X, *de novi op. nunciat.* V, 6), et consequenter Ap. Cancellariam reformavit. Certum videtur, iam a saec. XII, usos fuisse Pontifices opera Cappellanorum suorum ad causas cognoscendas quae Ap. Sedi deferebantur, unde et *Auditorum* nomen ; postea vero additam fuisse iurisdictionem, prius quidem personalem, deinde collegialem. Hinc, ut ait Lega (*De iudiciis*, II, n. 44), *sensim constitui coepit ex auditoribus quoddam collegium hoc habens quasi ordinarium munus, expediendi scilicet iudicialiter causas eidem commissas ex delegatione Summi Pontificis.* Primus Romanorum Pontificum, qui de S. Rota legem tulerit, fuit Joannes Pp. XXII (a. 1316-1334). Hic per const. *Ratio iuris*, a. 1331 editam, ut *in Palatio Apostolico audientie causarum... habeatur ordinatio limitata, congrua et salubris*, multa circa tempus audientiae, modum procedendi, personas adhibendas, taxas exigendas ac iusiurandum Auditorum sancivit. Quod autem Ioannes XXII incepit, posteriores Pontifices perfecerunt legibus plurimis, ita ut post disiectum romanum Imperium nullum fuerit in orbe tribunal, quod, aeque ac S. Romana Rota, omnium laudibus celebraretur. Verum, Urbe a. 1870 ab exercitu subalpino occupata, S. Rota siluit, usque dum Pius Pp. X per const. *Sapienti consilio* (29 iun. 1908), lege propria data, in exercitium iterum revocavit. Codex vero noster hanc legem confirmavit.

2. *Causae ordinem iudiciarium requirentes*, etc. — Postquam igitur Pius Pp. X const. *Sapienti consilio* decrevit, *per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes*, S. Rota facta est tribunal ordinarium appellationis Ap. Sedis. Sed ante omnia videamus hic quaenam sint istae causae, quae *ordinem iudiciarium requirunt.* Fuit haec, post editam const. *Sapienti consilio*, vexatissima quaestio (cfr. Oietti, *De rom. Curia*, n. 12 et seq. ; Wernz, *Ius decret.* II, n. 656). Patet autem, Codice promulgato, quaestionem esse ad normam Codicis discutiendam. Quocirca autumat Oietti, esse inter causas ecclesiasticas praecisum discrimen : alias nempe iuris laesionem continere, alias vero laesionem alicuius *interesse ;* illas iudiciario ordine, has administrativo esse expediendas. Sed videtur nobis acutissimi iurisconsulti sententiam, praesertim post promulgationem Codicis, quoad romanae Curiae dicasteria sustineri non posse. Utique semper verum est, *per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas ordinem iudiciarium requirentes*, eo nempe sensu, quod quidquid a romanis Congregationibus

cognoscendum assumitur, non potest nisi administrativo ordine expediri ; sed verum etiam esse videtur, exceptis causis criminalibus et appellationis (videlicet ab inferiore tribunali), nullas esse causas, quae, ex iuris nostri dispositione, ordinem iudiciarium absolute requirant et ideo debeant a romanis Congregationibus semper ad competens tribunal remitti. Idque ea praesertim ratione, quod, si ita eset, in re tanti momenti esset Legislator noster clare et explicite locutus ; dum contra, si ex eius verbis quicquam inferre licet, arguendum nobis videtur, maluisse eum quaestionem non definire et amplissimam hac in re romanis Congregationibus potestatem reliquisse. Et revera : Congr. S. Officii potest, *si ita conseat* et casus ferat, quaestiones remittere... ad tribunal etc. (can. 247, § 3) ; Congr. de Sacramentis potest, *si id expedire iudicaverit* vel *si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant*, ad tribunal etc. (can. 249, § 3) ; Congr. Concilii est competens in omnibus controversiis, quas in linea disciplinari *pertractandas censuerit :* cetera ad tribunal, etc. (can. 250, § 5) ; Congr. de Religiosis potest *si aequum iudicaverit* quaestiones ad tribunal, etc. (can. 251, § 2) ; denique Congr. pro Ecclesia Orientali, si quas controversias ordine iudiciario *dirimendas iudicaverit*, ad tribunal, etc. (can. 257, § 3). Itaque ne verbum quidem de obiectiva, ita dicam, distinctione causarum ; imo semper videtur adiecta conditio : *si causa accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigat*, ex qua proculdubio nulla obiectiva causarum distinctio oriri potest. Quod, si loci Codicis a nobis allati accuratius perpendantur, ex unoquoque eorum insuper patebit, *easdem causas* posse, fere iuxta Congregationis placitum, aut administrative aut iudicialiter tractari. Quare videtur posse concludere, nullam esse causam, exceptis criminalibus et appellationis (iudiciariis natura sua), quae in Curia romana ordinem iudiciarium ex iure nostro requirat, quamque ideo romanae Congregationes positive teneantur ad competens tribunal remittere. Quare, verba canonis initio citata, nonnisi causas appellationis et criminis respiciunt ; quibus addendae sunt causae, ex eo ordinem iudiciarium requirentes, quod iuxta Congregationum iudicium, melius hoc modo definiri possunt.

3. Est igitur S. Rota ordinarium Curiae romanae tribunal pro appellationibus recipiendis (can. 1598, § 1). Certo Auditorum numero constat, cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares (ibid.). Regulariter autem ius dicit per singulos turnos trium Auditorum, aut videntibus omnibus (ibid., § 4). Exceptis maioribus (can. 1600), omnes possunt ei aliae causae deferri, sed non omnes personae : nam Principes, Cardinales, Legati Ap. Sedis, Episcopi, huius tribunalis iurisdictioni subtrahuntur (can. 1557, § 1). Eius itaque potestas latissime patet. Et haec adnotare sufficiat, cum ex professo de S. Rota agendum sit in libr. IV Codicis explicando.

4. Et veniamus ad alteram partem canonis quae agit de Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae. Signaturae origines antiquissimae sunt. Siquidem, pace Ecclesiae reddita per Constantinum Aug., consueverunt fideles ad R. Pontificem supplices libellos porrigere, sive ut gratiam consequerentur, sive ut aliquam controversiam ad normam iuris ei decidere placeret. Quae gratiae ac sententiae R. Pontificis manu subsignabantur : unde postea *Signaturae* nomen. Et cum paullatim huiusmodi petitiones magis magisque frequentiores fierent, opportunum visum est, ut essent, qui R. Pontifici petitionum obiectum succincte referrent. Hi viri videntur iam ab a. 1243 venire nomine *Referendariorum*. Ex iis vero, progressu temporis, collegium factum. Ferunt item, Alexandrum Pp. VI Signaturam, quae prius, quamvis duplex quoad genera negotiorum, una tamen erat tum nomine tum constitutione, divisisse in partes duas, nempe Signaturam gratiae et Signaturam iustitiae. Et ita etiam corpus Referendariorum divisum est. Sixtus Pp. V per const. *Quemadmodum* (22 sept. 1586) centum Referendarios Signaturae gratiae, septuaginta vero Signaturae iustitiae assignavit. Deinde Alexander Pp. VII per const. *Inter ceteras* (13 iun. 1659) duodecim utriusque Signaturae Referendarios in peculiaria collegia erexit, quorum esset suffragium ferre, sicut erat Referendariorum factum narrare : inde *Votantes* appellati sunt. Ab anno vero 1847 quievit Signatura gratiae. Postea Pius Pp. X per const. *Sapienti consilio*, utraque Signatura suppressa, novum plane dicasterium a fundamentis erexit cum propria lege, nempe *Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae*, quod quidem constare voluit sex Cardinalibus (quorum unus eset tribunali praefectus), Secretario, Notario et conclavium Custode ; praeterea consultoribus et quibusdam inferioribus officialibus. Tandem Benedictus Pp. XV, per chirogr. *Attentis expositis* (28 iun. 1915), competentiam tribunalis ampliavit atque, suppressis consultoribus, Referendariorum et Votantium collegia restituit. Et ita instauratum et perfectum, tribunal in Codicem integre pertransiit.

5. Constituitur igitur, post promulgationem Codicis, hoc tribunal pluribus S. R. E. Cardinalibus, quorum unus fungitur Praefecti munere ; duobus collegiis Votantium ac Referendariorum et officialibus supra descriptis (can. 1602). Eius potestas suprema est in ordine iudiciali, perinde ac tribunalium *Cassationis* in negotiis civilibus. Obiectum competentiae Apostolicae Signaturae intra hos fines continetur. Videt potestate ordinaria de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus sacrae Rotae forte illatis, eo quod actum nullum vel iniustum posuerint ; de exceptione suspicionis contra aliquem S. Rotae Auditorem ; de querela nullitatis contra sententiam rotalem ; de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam, quae in rem iudicatam transierit ; de recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus, quas

ad novum examen S. Rota admittere renuit ; de conflictu competentiae, quem enasci contingat inter tribunalia inferiora, quae superius tribunal non habeant. Ex potestate vero delegata, videt Ap. Signatura de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectis ad obtinendam causae commissionem apud S. Rotam (can. 1603). In lege vero propria huius tribunalis, modus quoque procedendi accurate describitur. Sed haec amplius explicabuntur in adnotando libr. IV Codicis de iudiciis.

ART. III.

DE OFFICIIS CURIAE ROMANAE.

CAN. 260.

§ 1. *Cancellariae Apostolicae, cui praeest Cardinalis Cancellarius Sanctae Romanae Ecclesiae, hoc est proprium munus, apostolicas expedire litteras seu bullas pro beneficiorum et officiorum consistorialium provisione, novarum provinciarum et dioecesium ac capitulorum institutione et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.*

§ 2. *Quae litterae seu bullae ne expediantur nisi de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius competentiam spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis in singulis casibus ipsius mandati terminis.*

1. Cancellaria Apostolica habenda esse videtur tanquam Curiae romanae dicasterium antiquius. Siquidem ab Ecclesiae primordiis consueverunt Romani Pontifices, ad dirimendas orbis catholici controversias quasdam vel ad doctrinam de fide ac moribus proponendam atque explicandam, litteris apostolicis uti, quarum exempla vetustissima nunc quoque extant in duabus epistolis canonicis B. Petri (a. 42-67 ?) ac in epistola S. Clementis ad Corinthios (a. 93-97, iuxta Funk, *Patres Apost., Prolegom.* p. 37). Iamvero improbabile non est, Pontifices, illis etiam temporibus, in litteris scribendis et mittendis alterius opera, qui erat *ab actis*, habitualiter esse usos. At inde officium Cancellariae substantialiter exurgit. Videtur autem officii nomen, ex iure civili Romanorum Ecclesiam mutuasse : nam in Codice Iustiniani Aug. (a. 534) titulum reperimus *de adsessoribus et domesticis et cancellariis iudicum* (c. 3, 5 et 8, C. I, 51). Tot vero fuerunt vicissitudines Cancellariae Apostolicae, quod, si eos singillatim describere voluerimus, a fine nostro aberrare videremur. Hic innuere sufficiat, primum, qui *ad radices arboris securim posuerit*, supprimendo *officia venalia* et consequenter officialium multitudinem, fuisse Pium Pp. VII, post reditum ab exilio (a. 1814) ; postremum, Pium Pp. X per const. *Sapienti consilio*, quam Codex hac in re integram servavit.

2. *Cancellariae Apostolicae, cui praeest,* etc. — Modo Cancellariae constitutio simplicissima est : constat enim hoc dicasterium praefecto, idest Card. S. R. E. Cancellario, Regente, Substituto, septem Protonotariis *de numero* pro subscriptione bullarum et aliquot officialibus inferioribus, quos inter *plumbatores* recensentur. Neque implexior est Cancellariae competentia : quandoquidem, eius munus ad expeditionem litterarum apostolicarum seu *bullarum* pro beneficiorum et officiorum consistorialium provisione, novarum provinciarum, dioeceseon., capitulorum erectione ac pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis, reducitur.

3. Et, occasione capta, de bullis pontificiis nonnulla adnotare liceat. Possunt igitur litterae apostolicae habere duplicem formam : minus sollemnem in *brevibus*, sollemniorem in *bullis*. Bullarum nomen, a sigillo iisdem suspenso desumptum est ; quod sigillum, folio chartae pergamenae adhaeret funiculo, cuius color variat iuxta materiae diversitatem. Fuit quandoque funiculus ex argento et auro contextus cum aureo sigillo, idque in quibusdam gravissimis negotiis inter Ap. Sedem et regales personas existentibus. Iussit autem Leo Pp. XIII (29 dec. 1879), conscribi bullas charactere latino, ac sigillum pendens negotiis maioris momenti reservatum voluit. Tandem Pius Pp. X, postquam decrevit, ut dies bullis appositus a Kalendis ianuariis supputaretur, per motu-propr. *In Romanae* (8 dec. 1910), formulas quoque bullarum reformavit.

4. Progressu temporis Cancellaria Apostolica praxim sibi propriam in bullis conscribendis et mittendis paullatim introduxit. Qua ex praxi, Ioannis Pp. XXII aetate, notissimae *Regulae Cancellariae Apostolicae* derivarunt, quarum aliae *expeditivae*, aliae *reservatoriae*, aliae *iudiciales* fuerunt. At, Codice promulgato, cum et earum plures fuerint in Codicem receptae, extra Cancellariam fere nulli iam sunt practici momenti ; quoad Cancellariam vero, Pii Pp. X iussu reformatae sunt (cfr. *Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.*, cap. IX, art. 1).

Can. 261.

Datariae Apostolicae, quam moderatur Cardinalis Datarius Sanctae Romanae Ecclesiae, commissum est cognoscere de idoneitate promovendorum ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata ; conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione ; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis, quoties eius collatio ad Ordinarium non pertinet ; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

1. *Dataria*, ait Wernz (*Ius. decret.*, II, n. 677), *quae nomen sortitur a « datando », generatim erat illud tribunal gratiae in Curia Romana, quod ordinarias concessiones gratiarum, Secretariae Brevium vel aliis dicasteriis*

non reservatas, in foro externo praeparabat, gratiasque a Romano Pontifice concessas, in formam convenientem cum data (Datum apud S. Petrum, etc.) *redigebat et registris inserebat et per vias legitimas expediebat.* Utebatur autem Dataria, cuius erat, anteactis temporibus, potestas amplissima, in beneficiis, dispensationibus matrimonialibus aliisque gratiis concedendis, implicatissimo stylo et consequenter magno numero officialium. Sed Leo Pp. XIII ac postea Pius Pp. X, per const. *Sapienti consilio*, Datariam reformarunt, ita ut tandem *hoc unum relictum sit munus, quod in beneficiorum non consistorialium collatione versatur* (cfr. *Ordo servandus*, etc. *Normae pecul.*, Cap. IX, art. 2). Quam disciplinam et Codex noster confirmavit. Est igitur nunc Datariae munus exactissime circumscriptum.

2. *Datariae Apostolicae quam moderatur*, etc. — Itaque recolendum est, beneficia aut consistorialia esse aut non — consistorialia; haec vero aut Ap. Sedi reservata aut non reservata. Beneficia consistorialia, idest quae in Consistorio conferuntur (can. 1411, n. 1), semper, uti patet, reservata sunt Ap. Sedi, eorumque bullas conficit et expedit Cancellaria apostolica ; beneficia non-consistorialia, Ap. Sedi non reservata, confert in suo territorio loci Ordinarius (can. 1432, § 1) ; denique beneficia non-consistorialia Ap. Sedi reservata, confert, in Ecclesia latina et exceptis regionibus Congr. de Prop. Fide obnoxiis (can. 457), Dataria apostolica. Horum autem beneficiorum nomine comprehenduntur : dignitates ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum ; beneficia, quae vacaverint per obitum, promotionem, renunciationem, translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum R. Pontificis, officialium maiorum Curiae romanae eorumve, qui, tempore vacationis beneficii R. Pontificis familiares, etiam honoris causa, existebant ; beneficia extra-Urbana, quae vacaverint per beneficiarii obitum in Urbe ; beneficia, quae, ob simoniae vitium, invalide fuerint collata ; beneficia, quibus R. Pontifex per se vel per delegatum manus apposuerit, sive electionem vetando aut irritam declarando, sive beneficiarium promovendo aut transferendo aut amovendo eiusve renunciationem admittendo aut beneficium in commendam tribuendo ; denique beneficia quaedam Urbana (can. 1435). Et cum Datariae munus sit beneficia conferre, eius quoque est cognoscere de idoneitate promovendorum, eximere a conditionibus requisitis, litteras expedire, pensiones et onera imposita curare. Hisce limitibus Ap. Datariae competentia ad unguem iure definita est.

3. Antiquae Datariae modus procedendi peculiaris, traditionibus regebatur, ideoque erat fere ignotus profanis (1). Per const. *Sapienti cpnsilio* praxis simplicissima introducta est.

(1) Quare Octavianus Vestri ad Iacobum Pelleum (apud Moroni *Dizionario* etc. v. Dataria apostolica): *Io credo inaccessibile la prassi della così detta curia graziosa, e così furono meco acerbi ed inumani quei seniori, che non solo non mi esternarono i principii, ma giammai li hanno pubblicati, ritenendo sempre ascosi cotali tesori.*

CAN. 262.

Camerae Apostolicae, cui praeest Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Camerarius, cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur; et tunc adamussim serventur normae statutae in const. Pii X Vacante Sede Apostolica, 25 Dec. 1904.

1. Ecclesia catholica et Ap. Sedes nativum ius habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos (can. 49, § 1). Iamvero administrationem bonorum Ap. Sedis prius diaconi gesserunt, postea archidiaconus Ecclesiae romanae ac tandem, a saec. XI, *domini Papae Camerarius* unde nomen *Camerae Apostolicae.* Magna antiquitus fuit auctoritas Card. Camerarii et amplissimum munus: siquidem, nedum habuit fisci pontificii administrationem, verum etiam in causis fiscalibus potestatem iudiciariam. Scilicet, ut animadvertit Oietti (*De Rom. Curia,* n. 183), *Camerario concredita erat cura omnium negotiorum respicientium iura pontificii aerarii et temporalis gubernationis statuum ecclesiae romanae Quare ea omnia, quae respiciebant titulos nobilitatis, taxas, annonam, spolia ecclesiarum vacantium, vias, aquas, nundinas, collegia artium et studiorum, militiam omnemque administrationem ad eius spectabat competentiam. Exinde habebat etiam... exercitium auctoritatis seu iurisdictionis forensis et contentiosae.* Munus autem suum, exercebat per *officiales subalternos, quorum unus dictus est auditor camerae seu camerarii; alter, pro immediato gubernio temporali Urbis, dictus est vice-camerarius seu gubernator Urbis; alius pro... administratione... aerarii, cui proinde thesaurarii camerae nomen datum est.* A sententiis vero horum officialium dabatur appellatio ad *Plenae Camerae* tribunal, quod, praeterquam Card. Camerario, Vice-camerario, Thesaurario, Auditore, constabat quoque clericis *de Camera.* Hos Pius Pp. V ad duodecim redegit. At Romanorum Pontificum civili principatu disiecto, potestas Camerae fere ex toto quievit, cum praeterea administrationem bonorum Ap. Sedis fuerit peculiari Cardinalium Commissioni concredita (cfr. *Annuario pont. Segreterie palat.*) Ex const. autem *Sapienti consilio,* quae hac in re ad verbum est in Codicem recepta, integre superest Ap. Camerae constitutio et, theorice, etiam competentia substatialis.

2. *Camerae Apostolicae cui praesidet* etc. — Est igitur Ap. Camerae curare et administrare bona atque iura temporalia S. Sedis. Sed munus huiusmodi, usquedum Commissio, de qua supra, perduraverit sede plena practice evanescit. Quare Camera Apostolica auctoritatem suam exercet tantummodo sede vacante: tum namque universa administratio temporalis, regimen Palatii apostolici et conclavis moderatio, in Card. Camerarium

pertranseunt, *adsistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in ordine prioribus... et praehabitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis, suffragiis S. Collegii* (Pius Pp. X, const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904, n. 14).

CAN. 263.

Officium Secretariae Status, cuius moderator est Cardinalis Secretarius Status, constat triplici parte hoc ordine :

1° *Prima pars, cui praesidet Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, versatur in negotiis quae eidem Congregationi examinanda subiici debent ad norman can.* 255, *ceteris pro diversa eorum natura ad peculiares Congregationes remissis ;*

2° *Altera pars, cui praecst Substitutus, incumbit in ordinaria negotia ;*

3° *Tertiam partem dirigit Cancellarius Brevium Apostolicorum, qui vacat expeditioni Brevium.*

1. *Cum regnum et sacerdotium*, ait Ivo, Carnutensis Ep. (ep. 238ª ad Pasch. II apud Migne P. L. CLXXII, 425 et seq.), *inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia.* Relationes inter sacerdotium et imperium civile fovere, praevenire dissidia, quaestiones subortas dirimere, munus amplissimum est, quod Romani Pontifices Congregationi pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, de qua supra egimus, ac Officio Secretariae Status, quo de hic nobis agendum est, concreditum esse voluerunt. Officii huius primordia requirenda esse videntur in *Secretariis Apostolicis*, ab Innocentio Pp. VI (a. 1352-1362) primum creatis ac post tria saecula ab Innocentio Pp. XI (a. 1676-1689), exceptis Secretariis Brevium et Epistolarum ad Principes, suppressis (cfr. Giobbio, *Lez. di diplomazia eccl.* I, n. 203). Cum autem, circa initium saec. XVI, arte diplomatica ac opera legatorum coepissent Principes, ad pacem inter sese fovendam magnopere uti, Romani Pontifices, quamvis, ut patet, summam rerum politicarum sibimetipsis reservarent, placitorum tamen executionem committere voluerunt viro, cui maxime confiderent. Inde auctoritas amplissima *Cardinalium Nepotum. Le nèpotisme*, ait Lucius Lector (*Le Conclave* pag. 270 et seq.), *a pu, dans la pratique, présenter des graves inconvénients et, certes, personne ne songe à les nier; mais il impliquait aussi une pensée éminemment politique. Dans son action générale de Prince, mêlé aux grandes affaires de son temps, et de Pontife universel de la Chrétienté, de cette Chrétienté au sein de laquelle les compétitions étaient ardentes, en face de monarques de la trempe de Charles V, de François I, de Philippe II ou de Henri VIII, le Pape avait besoin du concours d'un homme à lui et formé par lui. Or, à une époque ou les rivalités étaient si âpres, les intrigues si savamment menées, les fidélités souvent si précai-*

res, à qui le Pape pouvait-il donner sûrement sa confiance, si non à quelqu'un des siens, à un neveu ou à un frère, auquel le chapeau était en quelque sorte imposé par la force des choses et des usages ? Et alors le Pape, de cet homme qui était sien, faisait son agent, son organe et collaborateur immédiat. Primus, qui Secretarii Status usus est nomine, fuisse videtur S. Carolus Borromeo, ab avunculo Pio Pp. IV a. 1560 Romam accersitus atque, annum XXII agens, Cardinalis creatus. Videtur tamen Secretarius Status fuisse praelatus fere semper distinctus a Cardinali Nepote ab eoque immediate dependens. Unde Plettemberg (*Notitia Curiae Rom.*, cap. XIII) : *Post Cardinalem Nepotem praecipuus est in rebus politica et in parte etiam civilia et ecclesiastica concernentibus, Secretarius Status, cui graviora negotia cum regibus et principibus, cum legatis et nuntiis apostolicis et quandoque etiam cum ordinariis locorum gubernatoribus aliisque officialibus et magistratibus Status ecclesiastici, communicato ut plurimum cum Cardinali Nepote consilio, pertractanda committuntur... Hic Secretarius plures adiutores habet et ministros, qui litteras et instructiones in rebus gravioribus vel ipsi componunt, quas deinde revidet Secretarius Status, vel a dictante excipiunt. Divisas inter se habent provincias et nuntiaturas, pro quibus litteras illas conficiunt.* Praxis huiusmodi usque ad a. 1692 in vigore permansit, quo anno Innocentius Pp. XII (a. 1691-1700), edita const. *Romanum decet Pontificem* (22 iun. 1922) contra *nepotismum*, Card. Fabritium Spada, romanum, Secretarium Status nominavit et Cardinales Nepotes de medio sustulit. Exinde vero, usque ad Pii Pp. X reformationem, Officium Secretariae Status, Cardinali Secretario moderatore, praelato (qui postea Substitutus vocatus est) ac nonnullis Officialibus scriptoribusque constitutum fuit. Denique, per const. *Sapienti consilio*, ad eam tripartitam formam redactum est, quam in Codice reperimus.

2. *Prima pars, cui praesidet*, etc. — Huius partis competentia versatur circa negotia, quae Congregationi pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis subiici debent. Nempe haec pars Officii Secretariae Status habenda est tanquam cancellaria citatae Congregationis : et ideo eius est, illorum negotiorum *positiones* instruere, quae postea in Congregatione sunt discutienda. Quaenam vero in specie sint negotia huiusmodi, supra explicavimus (cfr. comm. ad can. 255). Addere hic liceat, non ob difficultatem, quam secumferunt, negotia quaedam *extraordinaria* nuncupari, quamvis plerumque ex eo quod extraordinaria sunt, peculiari difficultate non careant ; sed ex eo quod obveniunt extra ordinem iam constitutum, veluti erectio Nuntiaturae, Legati *a latere* missio, conventionis cum Statu aliquo ineundae ac subsignandae susceptio eiusque discussio, etc.

3. *Altera pars, cui praeest Substitutus* etc. — Haec Officii pars incumbit in ordinaria negotia, veluti est Nuntiorum, Internuntiorum, eorumque Auditorum ac Secretariorum deputatio ac revocatio; ordinariarum instructio-

num vel etiam facultatum expeditio relationumque receptio atque examinatio ; initarum conventionum executio, etc. Insuper ad hanc Secretariae Status partem, *inter cetera, pertinet honoris insignia concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis, quae Antistiti pontificali domui praeposito sunt reservata* (const. *Sapienti consilio* III, 4).

4. *Tertiam partem dirigit Cancellarius* etc. — Bullae pontificiae a Cancellaria Apostolica (cfr. comm. ad can. 260 n. 2 et 3), Brevia, *quae a variis Congregationibus ei committuntur* (ibid.), a Secretaria Status per Brevium Apostolicorum Cancellarium conficiuntur et expediuntur.

Can. 264.

Ad Secretarias Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum spectat munus latine scribendi acta Summi Pontificis, ab eodem illis commissa.

Harum Secretariarum moderatores, qui unum vel duos studii adiutores sub se habent, censendi sunt veluti R. Pontificis Secretarii personales ad acta pontificia, uti Brevia, quae Principibus mittuntur, epistolas, sive encyclicas sive non, allocutiones consistoriales conscribenda et, si de Brevibus vel epistolis agatur, etiam expedienda.

CAPUT V.

DE LEGATIS ROMANI PONTIFICIS.

Can. 265.

Romano Pontifici ius est, a civili potestate independens, in quamlibet mundi partem Legatos cum vel sive ecclesiastica iurisdictione mittendi.

1. In Urbe R. Pontifex suam plerumque potestatem universalem exercet per Curiam romanam; extra Urbem, per Legatos a se missos. Potestatem R. Pontificis, de qua in canone nobis exponendo, in dubium nemo rationabiliter revocare potest. *Un des attributs essentiels de la souveraineté*, ait Calvo (*Le droit international théorique et pratique* etc. III, n. 1321), *est le droit de Legation... Contester à un souverain le droit de se faire représenter à l'étranger, c'est contester sa souveraineté même.* Sed, quamvis *regalismus* ac *liberalismus iuridicus* respondeant proponendo distinctiones *plus ou moins fantaisistes de souverainetés titulaires, honoraires et autres adaptations du même genre*, quae *ne se rencontrent que dans les livres et ne peuvent exister dans le domaine des choses réelles* (D'Olivart, *Le Pape, les Etats*, etc

pag. 12), nihilominus praerogativa *de la souveraineté*, nedum ad Romanos Pontifices pertinet, sed etiam ea semper usi sunt, sive cum nondum fruebantur civili principatu, sive postquam eo sunt vi armata deiecti. Nam Romani Pontifices et subditos habent fere innumerabiles ac toto orbe diffusos, et eos per genuinam potestatem legislativam, iudiciariam atque executivam (et ideo etiam coactivam), uti decet supremum Principem societatis suo genere perfectae, regunt, eodem plane, imo et altiore iure ac Principes temporales, idque ab illo iam tempore, cum nullus adhuc extabat eorum, qui modo sunt, Statuum civilium. Erit igitur *la souveraineté* Romanorum Pontificum, qua talium, *sui generis*, spiritualibus Ecclesiae finibus consona ideoque augustior, sicuti et omnium est amplissima : at in dubium vertere veritatem huiusmodi praerogativae, esset non minus rationi, quam historiae turpiter contradicere. Hinc merito D'Olivat (ibid.): *Le chef de l'Eglise catholique a le droit d'être traité comme un souverain indépendant, en raison de sa mission divine et du ministère apostolique qu'il exerce sur le monde entier, et cela même en dehors de toute considération de principauté et de pouvoir civil.* Romano igitur Pontifici ius est, a civili potestate independens, in quamlibet mundi partem Legatos mittendi, idest per alium agendi quod per se ipsum agere posset.

2. *Cum vel sine ecclesiastica iurisdictione*, etc. — *Ab ipsa antiquitate*, ait Santi (*Praelectiones iur. can.* lib. I, tit. 30, n. 1), *Legati Apostolici in duas classes divisi sunt, ut alii mitterentur absque iurisdictione*, idest *ad exequendum nudum ministerium, alii autem cum iurisdictione. Primi mittebantur ad Principes laicos, ut patrocinio suo protuerentur et expedirent aliquod negotium cum Principe ; et hi appellabantur Apocrisarii seu Responsales. Alii vero legati erant cum iurisdictione vera, et habebantur tanquam veri iudices ordinarii. Qui legati cum iurisdictione dividuntur in duplicem classem, ut alii sint nati, alii missi ; et missi alii sint « a latere », alii simpliciter missi.* Videntur Apocrisarii mitti coepisse postquam Constantinus Aug. imperii sedem posuit Byzantii ; certe Leo Pp. I (a. 440-461) Julianum, Ep. Coënsem in insulis Cycladibus, ad Marcianum Aug. tanquam suum Apocrisarium misit, simulque agendi has eidem normas constituit : *Studeat ergo dilectio tua, piam et necessariam curam sollicitudini apostolicae impendere, quae, tibi apud se nutrito, catholicam contra Nestorianos et Eutychianos haereticos actionem materno iure commendat : ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanae urbis opportunitate non desinas, ut praedictorum dogmatum impius nunquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum clementia, ut confidenter eis possis quae sunt insinuanda suggerere, pietate ipsorum, ad utilitatem Ecclesiae universalis utaris* (epist. 60ª). Ex quibus verbis liquet, non aliam fuisse muneris Apocrisariorum naturam, ac est in nostris Nuntiis et Internuntiis. Exorta haeresi iconoclastica (a. 726), qua tota fere Ecclesia Orientalis diutissime exagitata est et, quam-

vis precario, veluti a Latina seiuncta, simul cessavit, saltem ex parte Ap. Sedis, Apocrisariorum missio : nam ab aliis quoque Ecclesiis, praesertim patriarchalibus mittebantur, etsi principem locum Apocrisiarius R. Pontificis obtineret (cfr. Nov. VI 2). *Legati nati sunt*, ait Devoti (*Jus can. univ.* etc. II, lib. I, tit. 30), *quorum in dignitate haeret officium legationis, ita ut hoc cum persona non expiret, sed ad omnes in dignitate successores transferatur... Illud compertum exploratumque est, huiusmodi Legatos fere initio V saeculi constituisse Innocentium I, qui... praedecessores suos imitatum fuisse professus est* (1). Horum Legatorum potestas, saeculorum decursu magis ac magis deminuta, nostra aetate iam nomen est sine re (cfr. can. 270). Tertium Legatorum genus, Legatos *missos* complectitur, idest eos omnes, qui Legatorum *natorum* nomine non veniunt. Hos inter, quorum diversissima fuerunt munera, Legati *a latere* recensentur, de quibus modo nobis agendum est.

CAN. 266.

Dicitur « Legatus a latere » Cardinalis qui a Summo Pontifice tanquam « alter ego » cum hoc titulo mittitur, et tantum potest, quantum ei a Summo Pontifice demandatum est.

1. Veterem disciplinam quam brevissime supra retulimus. Huius vero disciplinae quidnam adhuc supersit, videamus. Et primum de Legatis *a latere*, qui inter R. Pontificis Legatos principem locum tenent.

2. *Dicitur Legatus a latere Cardinalis*, etc. — *Le légat « a latere »* ait Bompard (*Le Pape et le droit des gens*, pag. 12), *est un cardinal qui, siégeant au coté* (latus) *du Pape, s'en éloigne pour remplir une mission.* Scilicet munus huiusmodi, solis Cardinalibus a R. Pontifice concreditur. *Hinc etiam constat*, ait Eugenius Pp. IV (ep. *Non mediocri*, a. 1439, § 7, inter fontes relata), *cur a latere apostolico mitti eis solis, et non aliis appropriatur Legatis.*

3. *Tanquam « alter ego »* etc. — Omnes Legati R. Pontificis eius personam gerunt. At alio et alio modo, nam, ut Pontifex supra allatus subiungit (ibid. § 6), *Cardinales, pro honoris ac dignitatis eminentia, partem sui cor-*

(1) Inter sedes Legatorum *natorum* eminebant : *Pisa* (in Italia) ; *Reims, Lyon, Vienne, Bourges, Bordeaux* et *Arles* (in Gallia); *Toledo et Sevilla* (in Hispaniis) ; *Salzburg* (in Austria) ; *Magdeburg* et *Mainz* (in Germania) ; *York* et *Cantorbery* (in Anglia) ; *Edimburgh* (in Scotia) ; *Gnesen-Posen* (in Polonia) ; *Esztergom* (in Hungaria) ; denique, extra Europam, sedes *Carthaginiensis* et *Tessalonicensis* (cfr. Giobbio, *Lez. di diplomaz. eccl.* I, n. 230).

poris Summi Pontifices appellant... adeo quidem, ut sacris canonibus sancitum sit, eos qui in Cardinalem manus iniecerint violentas... criminis laesae maiestatis reos, maximis.. poenis esse plectendos ac si ipsi apostolici throni violaverint maiestatem. Et hinc est, quod Cardinalis, cum tanquam Legatus *a latere* mittitur, *alter ego* R. Pontificis censetur ; hinc etiam, quod singularibus honoris significationibus et incedit et ubique recipitur (1). Praecedit extra Urbem omnibus aliis (can. 239, § 1 n. 21).

4. *Et tantum potest, quantum* etc. — Tam diversi esse possunt fines, ob quos Legati *a latere* mittuntur, quod iure communi minime definitur eorum potestas : quare id possunt quod identidem iis a R. Pontifice demandatum est. Tamen ex eorum charactere defluit, eos non mitti, nisi in circumstantiis extraordinariis, sive ratione negotiorum perficiendorum, sive sollemnitatis, veluti cum ad praesidendum eucharisticis conventibus internationalibus mittuntur.

CAN. 267.

§ 1. *Legati qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii :*

1° *Fovent, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia apud quae legatione stabili funguntur;*

2° *In territorio sibi assignato advigilare debent in Ecclesiarum statum et Romanum Pontificem de eodem certiorem reddere ;*

3° *Praeter has duas ordinarias potestates, alias plerumque facultates obtinent quae tamen sunt omnes delegatae.*

§ 2. *Qui vero mittuntur cum titulo « Delegati Apostolici » unam habent ordinariam potestatem de qua in* § 1, *n.* 2, *praeter alias facultates delegatas ipsis a Sancta Sede commissas.*

1. Secundum locum inter R. Pontificis Legatos, quod *missos* appellant, tenent Nuntii ac Internuntii, tertium Delegati Apostolici. Omnes antiquis Legatis *natis* successerunt ; non tamen eadem potestate, sed minus lata

---

(1) Quocirca Card. Petra : *In exteriori, huiusmodi Legati maximum decus reportant, tam ex parte Pontificis, qui dum eos mittit agit cum aliqua nota speciali benignitatis, comitando illos per aliquot passus; quam ex parte S. Collegii Cardinalium, qui illos comitantur, incedente Legato medio inter duos diaconos ; ac extra portam* (idest Urbis) *statim crucem elevat ac benedictionem impertitur. Ita quoque in vestimentis... ; cum decore et magnificentia ac plurimo comitatu iter facit ac parvam Curiam Pontificiam deferens, officiales Brevium ac alios, imo et Datarium, qui solet esse Auditor Sacrae Rotae, ac plures officiales inferiores versatos in Dataria et Cancellaria Apostolica, ut possit instrui eorum quae potest concedere vel non ; prout etiam alios praelatos assumi pro eius auditore, ac pro eius decore in comitatu et exercitio muneris* (tom. II, ad const. 3 Alex. III, sect. I, n. 13) Sed haec omnia sunt aetate nostra ad minimum contracta.

fruuntur. Legationes, de quibus canon loquitur, omnes erectae sunt ubique terrarum a saec. XVI ad aetatem nostram (1).

2. *Legati qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii*, etc. — Utrumque munus episcopale ac diplomaticum est, utrique eadem iure communi potestas ordinaria tribuitur ; sed differunt gradu seu, ut Calvo ait, *on désigne sous le titre d'Internonces les ministres de deuxième classe du Pape* : quod sane, variis ex causis, practice parvipendendum non est. Cum Calvo (*Le droit international* etc. III, § 1328) hoc unum animadvertere placet : *Aux termes du règlement du 19 Mars 1815, les ambassadeurs, les légats et les nonces sont les seuls ministres publics, qui soient considérés comme revêtus du caractère représentatif, c'est-à-dire qu'ils représentent le souverain, qui les a accrédités, dans sa personne, sa dignité et sa grandeur et qu'ils ont le droit de conférer en tout temps avec lui sans intermédiaire.* Ex consuetudine vero iuris internationalis, ubique Nuntius Ap. habetur tanquam Decanus *natus* corporum diplomaticorum, quae apud civilia Gubernia legatione funguntur ; non ita, saltem de facto, Internuntius.

3. *Fovent, secundum normas*, etc. — Nuntiorum Internuntiorumque potestas ordinaria, quamque ideo per se delegare possunt ad normam can. 199 § 1, duplex est : et primum, fovendi relationes inter Ap. Sedem et civilia Gubernia. Haec est in Legatis huiusmodi principalior potestas ; videlicet sunt in primis agentes diplomatici, fungentes apud civile Gubernium stabili legatione. Quam quidem potestatem exercere debent iuxta normas a S. Sede receptas, quarum quaedam, idest normae generales agendi, profecto semper eadem sunt, quippe quae omnibus temporibus ac Nationibus aeque aptae ; contra, aliae, idest quas adiuncta peculiaria expostulaverint, identidem Nuntiis ac Internuntiis statuuntur. Utcumque, cum *concessa facultas secumferat alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae* (can. 66, § 3), iure communi, statim ac territorium sibi commissum attigerint, ad impedimenta quae concredito sibi muneri adversantur

---

(1) Harum Legationum, 20 Nuntium Ap. habent titularem, nempe Legationes apud Gubernium : *Argentinae, Austriae, Bavariae, Belgii, Brasiliae, Chilis, Columbiae Czeco-Slovacchiae, Galliae, Germaniae, Helvetiae, Hispaniae, Hungariae, Jugoslaviae, Paraguay, Peruviae, Poloniae, Romaniae, Venezuelae ;* 5 Internuntium Ap., nempe Legationes apud Gubernium : *Boliviae, Costaricae - Nicaraguae - Honduras, Haïti, Hollandiae, Luxemburgi* ; 4 titulari carent, nempe Legationes apud Gubernium : *Aequatoris, S. Dominici, S. Salvatoris* et *Uruguay* ; 5 titularem habent Delegatum Ap. a S. Congr. Consistoriali nominandum, nempe Legationes *Canadensis - Terrae novae, Cubana - Portoricensis, Ins. Philippinarum, Mexici* ac *Statuum foederat. Americae septentr.* ; denique 14 titularem habent Delegatum Ap. a S. Congr. de Prop. Fide nominandum, nempe Legationes : *Africae, Aegypti - Arabiae, Albaniae, Australiae, Constantinopolis, Graeciae, Indiarum, Japoniae, Lithuaniae - Lettoniae - Estoniae, Mesopotamiae - Armeniae, Persiae, Sinarum, Syriae.* (cfr. *Annuario pont. - Corpo diplomatico* et *Delegazioni apostoliche*).

eliminanda, per se frui videntur, sed ad finem dumtaxat sui muneris, potestate amplissima tum in fideles tum in pastores, eaque posse, postquam litteras apostolicas Principi exhibuerint, publice uti. .

4. *In territorio sibi assignato*, etc. — Altera horum Legatorum potestas consistit in iure advigilandi, nempe in Ecclesiarum statum : quae potestas toto coelo a prima distat, quamvis altera alteri suffragetur. Scilicet, advigilare debent in statum dioeceseon, qua dioeceses sunt, idque quoad omnia, quae ad disciplinam sive cleri sive populi referuntur. Et ideo, per se, ius habent dioeceses visitandi. Non tamen videntur posse amplius, saltem potestate ordinaria, uti postea fusius explicabimus (cfr. comm. ad can. 269), recursus admittere aut in delinquentes animadvertere, sed tantummodo R. Pontificem de statu rerum certiorem reddere. Et haec altera Nuntiorum atque Internuntiorum potestas, ut patet, non diplomaticum, sed episcopalem characterem secumfert, perinde ac in Delegatis Apostolicis evenire solet.

5. *Praeter has duas ordinarias potestates*, etc. — Praeter potestates hactenus recensitas, quasque Nuntii et Internuntii habent a iure, alias plerumque obtinent *ab homine* delegatas. Hae, quae maximi momenti esse possunt, sive iurisdictionales sint sive non iurisdictionales, per se possunt aut nequeunt subdelegari ad normam can. 199, § 3.

6. *Qui vero mittuntur cum titulo « Delegati Apostolici »* etc. — Ante diem 8 maii 1916, Delegati Apostolici, qui post a. 1823 apud Gubernia Americae latinae stabili R. Pontificis legatione fungebantur, quoad officii naturam ac potestatem, Internuntiis a iurisperitis (cfr. Giobbio, *Lez. di diplomaz. eccles.* I, n. 275) merito aequiparabantur. At eo die, per decretum Secretariae Status, huiusmodi Delegati Apostolici cum diplomatico charactere, fuerunt ab Ap. Sede suppressi. Siquidem Benedictus Pp. XV, *secum animo reputans*, ut citatum decretum ait, *quantopere deceat rectius aptiusque ordinari nomina...* decrevit, ut *qui, etsi titulum et gradum Nuntiorum Apostolicorum non obtinent, legatione tamen stabili apud exteros rerum publicarum gubernatores funguntur... omnes in posterum « Internuntii Apostolici» nuncuparentur et « Delegati Apostolici » ii dumtaxat dicerentur, qui, licet personam Pontificis sustineant, charactere tamen diplomatico omnino carent.* Et de hisce Delegatis Ap., non a Secretaria Status, sed vel a Congr. Consistoriali vel, ubi status *missionis* perseverat, a Congr. de Prop. Fide dependentibus, loquitur haec paragraphus canonis. Eorum potestas ordinaria, in iure advigilandi et, quae nota digna deprehensa fuerint, R. Pontifici deferendi tota consistit. Accedunt facultates delegatae, quae amplissimae esse possunt : nam hic quoque prudens Legislator ad minimum redegit potestatem ordinariam, cum semper possit compleri per facultates delegatas.

7. R. Pontificis Legatis accensendi sunt quoque *Legati extraordinarii*, qui variis de causis ad Principes vel ad conventus Episcoporum moderandos

vel ad aliud quodvis munus peragendum precario mittuntur, cum vel sine ecclesiastica iurisdictione, inter quos nota digni sunt *Ablegati*, qui creatis Cardinalibus extra Urbem residentibus deferunt insignia ; non autem *Negotiorum gestores* (*Chargés d'affaires*), idest Auditores vel Secretarii, qui vacantem Nuntiaturam vel Internuntiaturam *interim* administrant.

CAN. 268.

§ 1. *Legatorum munus cum omnibus facultatibus eisdem commissis non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris pontificiis fuerit statutum.*

§ 2. *Cessat autem, expleto mandato, revocatione eisdem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata.*

1. *Legatorum munus*, etc. — Potestate Legatorum definita, videndum est quemadmodum eorum munus cessare possit. Munus Legatorum, sicuti et cetera munera, iuridice consistit ex voluntate Superioris competentis ac inferioris acceptantis. Patet autem acceptationem Legati, R. Pontificis voluntate demetiri. Si igitur in litteris pontificiis statutum fuerit, ut Legatus *ad beneplacitum* Principis legatione fungatur, tunc eius munus, statim ac Ap. Sedes vacaverit, veluti fundamento carens expirat. Alias integrum perseverat, veluti lege innixum, quae usque ad abrogationem perdurare censetur : *quod* enim *Principi placuit, legis habet vigorem* (cfr. 1 D. I, 4). Idque optima ratione fit : nam non sine Ecclesiae detrimento, quavis morte Pontificis, suspenderentur simul toto orbe gravissima et amplissima munera.

2. *Cessat autem expleto mandato*, etc. — Duo sunt modi, quibus communiter cessat munus Legatorum R. Pontificis, idest cessante fine legationis, vel delegantis voluntate. Finis legationis cessat, cum expleta fuerint quae Legato erant peragenda vel, aliis verbis, cum expletum fuerit mandatum : tum enim nihil amplius Legato agendum superest. Idque contingere solet in Legatis, qui stabili legatione non funguntur, hoc est in Legatis *a latere* et in Legatis extraordinariis. Alio modo Legati munus cessat ex voluntate delegantis, sive accedat sive minus Legati voluntas. Accedit autem voluntas Legati, cum eius spontaneam renunciationem R. Pontifex acceptat ; quo in casu, uti patet, munus cessat, non quidem per virtutem renunciationis, sed per acceptationem Principis : siquidem, acceptato munere, Legatus ius renunciationis amittit, et ceterum esset ecclesiasticae disciplinae perniciosissimum, si qui officium habent, possent semper se oneri pro libito subtrahere. Quare renunciatio non acceptata, nullius in iure roboris est. Contra, munus Legatorum cessat ex voluntate solius delegantis, idest per revocationem ; non tamen prius, quam voluntas Pontificis sit eisdem legitime intimata, ita ut perspecta sit illis, absque ullo dubio,

Principis voluntas : *omnis* namque *res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (C. 1 X *de reg. iuris* V, 41); et ita sane, nempe quousque Principi placuerit, semper, ut supra innuimus, munus suum Legatus acceptasse censetur.

Can. 269.

§ 1. *Legati Ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium relinquant.*

§ 2. *Licet forte charactere episcopali careant, praecedunt tamen omnibus Ordinariis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti.*

§ 3. *Si charactere episcopali sint aucti, possunt sine Ordinariorum licentia in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baldachino, peragere.*

1. *Legati Ordinariis locorum* etc. — Hactenus Legati Ap. Sedis considerati sunt in seipsis, nunc vero quoad locorum Ordinarios considerandi sunt. Quaenam inter has Ecclesiae auctoritates relatio intercedit ? *Les nonces*, ait Sauvé (*Qui'est-ce qu'un Nonce* ? p. 55), *sont des agents diplomatiques, il est vrai, mais des agents diplomatiques du Pape, envisagé principalement comme chef de l'Eglise ; leur action est avant tout une action religieuse dans sa fin propre et directe, action qui.... à raison de la haute qualité de ceux dont elle émane, a droit aux égards religieux, dus aux organes ou représentants de la plus haute autorité spirituelle.* Cl. auctor de Nuntiis tantum loquitur, sed eius verba omnibus Legatis Apostolicis, qui cum iurisdictione mittuntur, optime referri possunt: omnes etenim, nedum legitimam R. Pontificis personam gerunt, sed etiam eius nomine et vice agunt. Quare, cum a. 1885 ephemeris hispanica *El siglo futuro* lucubrationibus quibusdam indulsisset, quibus in favorem potestatis episcopalis plurimum detrahebatur Nuntiorum potestati, declaratio prodiit Secretariae Status, in qua haec, inter alia, reperiuntur : *I Nunzi Apostolici* (1) *sono veri rappresentanti del Sommo Pontefice, da cui deriva la loro autorità.... Conseguentemente, se l'autorità dei Vescovi deve rimanere sempre soggetta a quella del Pontefice e mai può essere esercitata contro il volere e contro le regole da esso tracciate, è evidente che l'autorità vescovile non può esercitarsi contro le prescrizioni del*

(1) *Nuntii Apostolici genuinam R. Pontificis, a quo auctoritatem habent, personam gerunt.... Qua de causa, si Episcoporum auctoritas R. Pontificis auctoritati semper subesse debet, nec unquam contra eius voluntatem ac normas ab eo statutas exerceri potest, evidens est, non posse auctoritatem episcopalem contra Nuntii Ap. praescripta exerceri,idque eo magis, quod hic, cum sit legitimum instrumentum, quo utitur B. Pater in suo cum fidelibus atque Episcopis commercio, genuinam eius mentem perfecte cognoscit.*

Nunzio Apostolico, tanto più che questi, come organo autorevole di cui si serve il S. Padre per comunicare coi fedeli e con i vescovi, conosce perfettamente le vere intenzioni del medesimo. Ac paulo post : *Conviene poi notare* (1) *che nello stesso articolo si afferma la preminenza del diritto dei Vescovi sopra quello del Nunzio intorno alle questioni riguardanti le relazioni fra la Chiesa e lo Stato, senza però avvertire che questioni siffatte, appunto perchè hanno rapporto cogli interessi di tutto il cattolicismo o dei cattolici di un dato Stato, nel quale sono comprese più diocesi, appartengono in particolare maniera al rappresentante del Sommo Pontefice e l'azione relativa dei Vescovi dev'essere sempre subordinata al Capo supremo della Chiesa ed in conseguenza a chi lo rappresenta.* Ac proseguitur : *Venendo poi alla questione di fatto* (2), *è evidente che il Nunzio Apostolico... non ha altra missione nè altra autorità fuori di quelle che il Sommo Pontefice a lui concede, come pure è evidente che solo il Sommo Pontefice a lui concede, come pure é evidente che « solo il Sommo Pontefice delegante può dire quale sia la missione e quale l'autorità del suo Nunzio ». E però vero che il Sommo Pontefice dà ai suoi Nunzi una missione puramente diplomatica, senza veruna autorità sopra i pastori ed i fedeli ?.... Dai relativi Brevi ed istruzioni apparisce invece, che i Nunzi Apostolici hanno una missione non puramente diplomatica, ma autoritativa riguardo ai fedeli ed alle cose religiose.*

Et prosequitur Card. Secretarius Status animadvertendo, neque ad fideles neque ad Episcopos spectare ius definiendi Nuntiorum munus, et *a fortiori* iudicium ferendi super actuum eorum legitimitate : qui actus *devono* (3) *essere rispettati dai fedeli e dai Vescovi, salvo ad essi il diritto di ricorrere alla Santa Sede, qualora vi fossero motivi per credere che il Nunzio*

---

(1) *Neque est praetereundum, in eadem disertatione prae Nuntii, Episcoporum praeminentiam affirmari quoad quaestiones, quae relationes inter Ecclesiam et Statum respiciunt ; sed non animadverterunt scriptores, quaestiones huiusmodi, ex eo praecise quod ad catholicismi universi vel saltem Status cuiusdam, quo plures comprehenduntur dioeceses, incrementum pertinent, ex hoc ad R. Pontificis Legatum peculiari modo spectare, et relativam actionem Episcoporum supremo Ecclesiae capiti, et consequenter eius Legato, subordinari oportere.*

(2) *Deinde, ad quaestionem facti ut veniamus, evidens est, non aliud Nuntium Ap. habere munus aut auctoritatem, quam quae Summus Pontifex illi concesserit, ac « solum Pontificem delegantem, quae sint munus et auctoritas huiusmodi, definire posse ». Nihilominus, est ne verum, suis Nuntiis conferre Pontificem mere diplomaticum munus absque ulla auctoritate in pastores et fideles?... Sane contra, ex Brevibus et « instructionibus» eruitur, non mere diplomaticum, sed, quoad fideles et res ad Religionem pertinentes, auctoritativum munus Nuntios Ap. habere.*

(3) *Qui actus, obsequii significatione a fidelibus et Episcopis prosequendi sunt, salvo iure recursus ad Ap. Sedem, si forte merito Nuntius visus fuerit fines sui muneris praetermisisse aut abusus esse legatione sua.*

uscisse dai confini della sua missione o abusasse della sua rappresentanza. Hac declaratione, quamvis Secretaria Status pro sua prudentia innuat potius mentem suam quam manifeste patefaciat, satis liquet, quaenam intersint relationes inter Episcoporum et Legatorum R. Pontificis, praesertim vero Nuntiorum et Internuntiorum, potestatem. Hisce praemissis, Legati R. Pontificis liberum suae iurisdictionis exercitium relinquere debent Ordinariis locorum : aliis verbis, non possunt semetipsos locorum Ordinariis substituere in iis peragendis, quae ad episcopale officium pertinent, quamvis eorum muneris sit advigilare in statum dioeceseon (can. 267 § 1, n. 2), nempe ut omnia ad normam iuris perficiantur. Ad rem Leo Pp. XIII (ep. *Longinqua oceani*, 6 ian. 1895) : *Legati apostolici, qualicumque demum potestate augeatur, cum haec persona atque hae partes sint, Pontificis a quo mittitur, mandata facere et voluntatem interpretari, tantum abest ut ordinariae potestati Episcoporum quicquam pariat detrimenti, ut potius firmamentum ac robur sit allaturus. Eius quippe auctoritas non parum est habitura ponderis ad conservandam in multitudine obedientiam ; in clero disciplinam debitamque Episcopis verecundiam ; in Episcopis caritatem mutuam cum intima animorum coniunctione.*

2. *Licet forte charactere episcopali*, ect. — Quoad iura honorifica, primum competit Legatis Ap. praecedentia super omnibus Ordinariis, quamvis primatiali vel patriarchali dignitate sint insigniti et Legatus Ap. episcopali charactere careat. Idque ex iure, quoties de praecedentia agitur. Ideoque etiam, *si contingat Archiepiscopum simul cum Nuntio iter habere, vel eundem Archiepiscopum ad invisendum Nuntium accedere, tunc quidem ob reverentiam Sedis Apostolicae, quam in ipso Nuntio agnoscere et venerari debet, Archiepiscopus abstinebit a delatione Crucis*, i. e. ante se ferendae, (S. R. C. *Taurinen.*, 16 febr. 1593). Cuius praecedentiae ratio semper eadem est, quod omnes in Legatis R. Pontificis *Sedem Apostolicam agnoscere et venerari debent.* Eademque de causa, excipiuntur Ordinarii qui sint cardinalitia dignitate insigniti : Cardinales namque, ut supra explicavimus (cfr. comm. ad can. 266 n. 3), quasi unum corpus cum R. Pontifice constituunt. In Legato autem *a latere* utraque ratio cumulatur, nempe et necessitudinis et legationis: unde Legatus *a latere* extra Urbem omnibus praecedit (can. 239, § 1, n. 21).

3. *Si charactere episcopali sint aucti*, etc. — Afferre praestat hac in re responsiones duas, in *Taurinen.* (ad 3^{um} et 5^{um}) supra allata a S. Rituum Congr. datas, quibus, qua mente has Ecclesia regulas statuerit, optime ostenditur. Ait igitur S. Congregatio : *Non licebit Nuntio in cathedrali, sive in aliis ecclesiis archiepiscopali ditioni subiectis* (utique igitur in privato sacello Episcopi iurisdictione exempto) *ministrare quaecumque sacramenta ad Archiepiscopum loci Ordinarium spectantia, nisi id vel specialiter et expresse in facultatibus sibi a Sede Apostolica fuerit permissum,*

vel obtinuerit prius ab Archiepiscopo facultatem. Quoad benedictionem vero populo impertiendam, subiungit : *Archiepiscopus, antequam sit populo benedicturus, opportune per unum ex canonicis vel per ministrum caeremoniarum, Nuntium in episcopali.... dignitate constitutum ex sua humanitate invitet ad benedicendum, qui tamen huiusmodi reverentiae sibi oblatae significatione contentus, benedicere omnino recusabit, ne, acceptando, iurisdictionis episcopalis libertatem impedire, vel sui patris ac pastoris benedictione populum privare videatur.* Excipitur iure Codicis ecclesia cathedralis : ibi enim Legatus Ap., qua Legatus est et quamvis episcolem characterem habeat, nec populo benedicere nec officia divina peragere potest sine consensu Ordinarii. Quare ? *Cathedralitas*, ait S. Rota (in *Recentior.* decis. 533, n. 29 et 30, part. 5, t. I, etc.), *resultat, dato Episcopo et ecclesia, ratione coniugii spiritualis.* Est igitur ecclesia cathedralis peculiari ratione Episcopo subiecta, ac proinde, sine eius licentia aut saltem eo non praemonito, nemo potest ibidem, excepto R. Pontifice iisque quibus ipse expressam facultatem fecerit, divina officia peragere. Hinc S. R. C. Cardinales, ob arctissimam cum R. Pontifice necessitudinem, ac Metropolitae, ob potestatem quam, suffraganeis negligentibus, in eorum quoque dioecesibus exercent, divina officia, in ecclesia cattedrali non propria, facultatem habent a iure peragendi, *Ordinario praemonito* (can. 239, § 1, n. 15 et 274, n. 6); Legati vero pontificii, qua tales, quibus neutra huiusmodi ratio suffragatur, id possunt tantummodo *de Ordinarii licentia.*

CAN. 270.

Episcopis qui, ratione sedis, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale ius.

Agitur de sedibus, cum quibus antiquibus coniunctum erat munus Legati *nati* (cfr. comment. ad can. 265, n. 2). Harum sedium Episcopis, nonnisi titulus remanet et quandoque iura quaedam honorifica (cfr. Wernz, *Ius decretal*, II, n. 690), veluti utendi veste purpurea, dummodo fuerint legitime quaesita.

CAPUT VI.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, METROPOLITIS.

CAN. 271.

Patriarchae aut Primatis titulus, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae ad normam can. 280, nullam secumfert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet.

1. Praeter pontificios Legatos, alii quoque extra Urbem R. Pontificis primatum aliquatenus participarunt vel adhuc participant, et sunt Pa-

triarchae, Primates ac Metropolitae. Nimis longum esset horum graduum supra-episcopalium vicissitudines hic recolere; quare satis esse videtur si animadverterimus : 1° Iure divino, quoad potestatem quidem ordinis omnes Episcopos, R. Pontifice non excluso, esse pares; quoad potestatem vero iurisdictionis, solum R. Pontificem ceteris praestare primatus causa : proinde iure mere ecclesiastico, per aliquam participationem primatus pontificii, huiusmodi gradus consistere (cfr. can. 108, §§ 2 et 3) ; 2° Gradu supra-episcopales, re saltem, quamvis nondum nomine, ab aetate Apostolica esse repetendos : scribebat namque Paulus Ap. Tito, Cretae Episcopo (Tit. I, 5 et seq.) : *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros* (idest Episcopos), *sicut et ego disposui tibi* ; itemque Timotheo suo (I Tim., I, 3), Episcopo in Asia proconsulari : *Rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam* (Episcopis nempe) *ne aliter docerent* ; ac praeterea, uti character Apostolicus ferebat, Apostolus quilibet Episcopos a se creatos subiectos habebat ; 3° Patriarchae vero, Primatis ac Metropolitae nomen postea esse invectum; quocirca Thomassinus (*Vetus et nova Eccles. discipl.*, pars I, lib. I, cap. 19): *Coepit circa tempora Nicaeni Concilii* (a. 325) *Episcopis tribus* (nempe Romae, Antiochiae et Alexandriae), *iisque fere solis et in Oriente solo, Archiepiscopi nomen tribui, qui nimirum toto orbe erant maximi. Nec aliud illis datum est ab Ephesina prima Synodo* (a. 255) *illustrius, ubi tamen et Ephesino communicatur Episcopo. Ita illum appellat Theodosius, qui et epistola, qua Ephesinum II convocat Synodum* (a. 431), *Caesareae in Cappadocia Episcopum, Archiepiscopum vocat. Exploratum vero est, Ephesi et Caesareae Episcopos, dioeceseon* (nempe imperialium, quae pluribus provinciis civilibus simul et ecclesiasticis constabant, sicut provincia pluribus Ecclesiis, idest, iuxta nostram consuetudinem loquendi, dioecesibus) *suarum Exarchos* (h. e. Primates) *fuisse. At ubi catholici episcopatus principes, augustiori nomine Patriarchae dici maluere, illis Metropolitis* (h. e. Exarchis seu Primatibus) *adhaesit nomen Archiepiscopi, quorum iuri suberant alii Metropolitae* (h. e. uni provinciae ecclesisticae praefecti, qui et nostra aetate ita appellantur). *Et hi sunt quos olim Exarchos Graeci, Latini aetate media Primates dixere.*; 4° Progressu temporis alias patriarchales, ac primatiales, plurimas vero sedes metropolitanas esse constitutas (1).

(1) Nunc temporis, 14 sunt, praeter *romananam*, in Ecclesia sedes patriarcales, quarum 8 ritus latini, nempe *Costantinopolitana, Alexandrina, Antiochena* (titulares), *Hierosolymitana, Indiarum occidentalium* (titularis), *Indiarum orientalium, Ulyssiponensis* ac *Venetiarum ;* 6 vero ritus orientalis nempe *Alexandrina* ritus coptici, *Antiochena* ritus syriaci, item *Antiochena* ritus maronitici, item *Antiochena* ritus graeci-melchitici, *Babylonensis* ritus chaldaici, *Constantinopolitana*, ritus armeni. Sedes metropolitanae 214 numerantur (cfr. *Annuario pontif., Patriarcati latini ed orientali*).

2. *Patriarchae aut Primatis titulus*, etc. — Patriarchis et Primatibus, qua talibus, in primis competit ius praecedentiae quoad Episcopos ipsosque Metropolitas, qui hoc titulo non gaudent, videlicet primum Patriarchis, deinde Primatibus. Praeterea Patriarchae et Primates habent praerogativam honoris. Haec primum in nomine posita est : nam Patriarcha *Patrum principem*, Primas vero *primum*, idest eum qui primum locum tenet, significat. Deinde posita est in peculiaribus insignibus patriarchalibus, quibus utuntur Patriarchae ritus orientalis, imo etiam Patriarchae Constantinopolitanus, Alexandrinus et Antiochenus ritus latini, quibus, tanquam mere titularibus ac proinde extra suum territorium residentibus et pallii iure carentibus, Benedictus Pp. XIII per const. *Romanus Pontifex* (30 sept. 1724), ut *exomide* ornarentur concessit (cfr. Wernz, *Ius decretal.*, II, n. 721). Possunt insuper, perinde ac Metropolitae (cfr. can. 274, n. 6), cruce ante se delata incedere. Sed in hisce quaestionibus nobis immorandum non est.

3. *Nullam secumfert specialem iurisdictionem*, etc. — Titulus Patriarchae et Primatis, quoad iurisdictionis potestatem, nihil tribuit. Quare, si Patriarcha aut Primas provinciae ecclesiasticae praesit, iure Metropolitarum censetur ; si non praesit, ex titulo patriarchali aut primatiali nullam potestatem metropolitanam consequitur. Aliis verbis : ex iure communi non datur in Ecclesia, R. Pontifice eiusque Legatis exceptis, potestas territorialis quae fines dioeceseos excedat, nisi in Metropolitis. Ex iure communi : nam ex iure particulari aliud utique evenire potest Ita ex. c. Patriarchae orientales pallium *graecum* concedere possunt ; ita etiam videtur Archiepiscopus Strigoniensis, Hungariae Primas, iura quaedam iurisdictionis primatialis retinuisse (cfr. Wernz, ibid., n. 722). Et veniamus ad Metropolitas.

CAN. 272.

Provinciae ecclesiasticae praeest Metropolita seu Archiepiscopus ; quae dignitas coniuncta est cum sede episcopali a Romano Pontifice determinata vel probata.

1. *Provinciae ecclesiasticae praeest*, etc. — Circumscriptio ecclesiastica provinciis, dioecesibus vel quasi-dioecesibus ac paroeciis vel quasi-paroeciis praesertim constat. Provinciae praeest Metropolita seu Archiepiscopus : utrumque nomen idem significat. Nec officit, haud paucos inveniri Archiepiscopos, veluti in Italia Aquilensem, Cosentinum, Caietanum, Rossanensem, Lucensem, Anconitanum, Camerinensem, Ferrariensem, Amalphitanum, Catanensem, Perusinum, Spoletanum et Utinensem, omnes R. Pontifici *immediate subiectos*, suffraganeis carentes, quique proinde quavis metropolitana iurisdictione facto et iure destituuntur : nam

praesules huiusmodi non sunt Archiepiscopi, idest *Episcoporum Principes*, nisi *honoris causa*, vel sicuti ait Wernz (ibid., n. 719, nota 103), nonnisi *titulares*. Et re vera hi praesules, qua Archiepiscopi, mere titulares sunt, idest non habent nisi titulum, cum Episcopis, quibus tanquam principes praesint, omnino careant : ideoque pallium, potestatem archiepiscopalem significans (can. 275), quod et petunt et consequuntur (cfr. ex. c. *Acta Ap. Sedis*, 1919, pag. 108 et 1922, pag. 622), obtinent ex privilegio veluti insigne mere honorificum. Non tamen confundendi sunt cum Archiepiscopis titularibus provinciarum ecclesiasticarum, quae sunt *in partibus infidelium* : nam nulla prorsus hi praesules quovis titulo potestate fruuntur, sive archiepiscopali sive episcopali ; et cum territorio sibi subiecto careant, nunquam pallio, ne ex privilegio quidem, insigniuntur.

2. *Quae dignitas coniuncta est*, etc. — Potestas metropolitana coniuncta est cum sedibus episcopalibus a R. Pontifice determinatis vel probatis, idest nonnisi per voluntatem R. Pontificis provincia ecclesiastica constituitur (cfr. can. 215, § 1). Nec aliter esse potest : nam, cum omnes Episcopi sint iure divino potestate aequales ac proinde potestas metropolitana sit quaedam pontificiae potestatis participatio, nemo est, qui possit eam largiri, nisi R. Pontifex. Quam disciplinam, nempe necessitatis pontificiae approbationis saltem tacitae, semper servatam esse in Ecclesia, vetera monumenta testantur (1).

Can. 273.

Salvo praescripto can. 275-280, *Metropolita in propria dioecesi easdem obligationes eademque iura habet quae Episcopus in sua.*

Can. 275-280 quaedam iura et quasdam peculiares obligationes continent, quas impleat oportet Metropolita, ut rite peragere possit in sua dioecesi munera omnibus Episcopis communia : obligationes et iura, quae pallium archiepiscopale respiciunt.

Can. 274.

In dioecesibus vero suffraganeis Metropolita potest tantum :

1° *A patronis ad beneficia praesentatos instituere, si Suffraganeus intra tempus iure statutum, iusto impedimento non detentus, id facere omiserit ;*

---

(1) Ad rem notat Wernz (*Ius decretal*, II, n. 719), Adalbertum Archiep. Bremensem et Hamburgensem, cum a. 1047-1055 summo studio contenderet, ut in Hammeburg patriarchatus constitueretur, id sibi suaeque Ecclesiae *Romanis privilegiis* concedendum esse duxisse atque a R. Pontifice Leone IX postulasse ; eodemque iure, postremis hisce temporibus, Leonem Pp. XIII Episcopum Perusinum elevasse ad dignitatem *Archiepiscopi titularis*.

2° *Indulgentias centum dierum, sicuti in propria dioecesi, concedere ;*

3° *Deputare Vicarium Capitularem ad normam can.* 432, § 2 ;

4° *Vigilare ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac de abusibus Romanum Pontificem certiorem facere ;*

5° *Canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit ; tempore autem visitationis, potest praedicare, confessiones audire etiam absolvendo a casibus Episcopo reservatis, de vita et honestate clericorum inquirere, clericos infamia notatos Ordinariis ipsorum, ut eos puniant, denuntiare, notoria crimina, manifestas et notorias offensas tum sibi tum suis forte illatas, iustis poenis, censuris non exclusis, punire ;*

6° *In omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Ordinario loci praemonito, si ecclesia sit cathedralis, peragere pontificalia, uti Episcopus in proprio territorio, populo benedicere, cruce ante se delata incedere, non autem alia exercere quae iurisdictionem importent ;*

7° *Appellationem recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, prolatis in Curiis suffraganeis, ad normam can.* 1594, § 1 ;

8° *Controversias de quibus in can.* 1572, § 2, *in prima instantia dirimere.*

1. *In dioecesibus vero suffraganeis... A patronis ad beneficia*, etc. — In dioecesibus suffraganeis iure communi id tantum potest Metropolita, quod ex eodem iure expresse ipsi conceditur: cum tamen metropolitana potestas ordinaria sit, et ad supplendam ordinariam Suffraganeorum potestatem quoque datam, non videtur esse strictae interpretationis (cfr. can. 200). Primum igitur potest Metropolita a patronis ad beneficia praesentatos instituere, quoties duplex haec extiterit conditio : 1°) quod Suffraganeus intra tempus a iure statutum id facere omiserit ; 2°) quod perdurante hoc temporis intervallo, nullo iusto impedimento detentus fuerit. Itaque, qui fuerint a patronis ad beneficia praesentati, intra duos menses a die praesentationis institui debent (can. 1467). Qui menses ita supputandi sunt, ut statutum tempus finiatur media nocte diei, qui, post duos menses (sumendos prout sunt in calendario), eundem numerum fert ac dies praesentationis (cfr. can. 34, § 3, n. 1 et 3). Si ergo duo menses elapsi fuerint, quin Suffraganeus clericum praesentatum instituerit, institutio ad Metropolitam devolvitur ipso iure ; quare refunditur in Suffraganeum onus probandi, se eo tempore iusto impedimento detentum fuisse : quod si probari nequeat, potest Metropolita clericum praesentatum, si idoneum repererit, in beneficium instituere. Potest, non debet : cum tamen sit in causa utilitas publica, videat oportet Metropolita, ne quid ex sua longanimitate suffraganea dioecesis detrimenti capiat. Esse autem allegatum

a Suffraganeo impedimentum iustum aut minus, Metropolitae est iudicare; et vicissim Suffraganei, iudicio non acquiescentis, apud Ap. Sedem recursum interponere : huic vero vis suspensiva inesse videtur.

2° *Indulgentias centum dierum*, etc. — Ex decr. S. Congr. Indulgentiarum *Pontificale iubilaeum* (28 aug. 1903) in Codicem recepto et, quoad Cardinales et Archiepiscopos, ampliato, competit Metropolitis facultas, nedum in propria, sed in dioecesibus quoque Suffraganeorum, concedendi indulgentias centum dierum, *servatis servandis* et praesertim praescripto can. 913.

3. *Deputare Vicarium Capitularem* etc. — Vacante sede episcopali, nisi Ap. Sedes per Administratorem Apostolicum vel alio modo ipsa providerit, regimen dioecesis ad Capitulum ecclesiae cathedralis devolvitur (can. 431, § 1). Capitulum vero intra octo dies ab accepta notitia vacationis, idest ante mediam noctem qua dies octavus integer post acceptam notitiam finitur (cfr. can. 34, § 3, n. 3), Vicarium capitularem vel etiam oeconomum unum aut plures deputare debet (can. 432, § 1). Quod si, quavis de causa, non deputaverit, deputatio ad Metropolitam devolvitur (ibid., § 2). Quavis de causa : proinde etiam si ideo nullum deputaverit, quod facta deputatio irrita est.

4. *Vigilare ut fides ac disciplina*, etc. — Qua in potestate advigilandi, potestas quoque continetur iis mediis utendi, Metropolitae conscientia et arbitrio, qui necessarii vel opportuni videntur ad finem obtinendum (cfr. can. 66 § 3).

5. *Canonicam visitationem peragere*, etc. — Episcopi ad canonicam dioecesis visitationem peragendam ita tenentur, ut saltem singulis quinquenniis dioecesim universam vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium generalem aliumve lustrent (can. 343, § 1). Quod si hac in re graviter defuerint, visitatio canonica ad Metropolitam devolvitur (ibid., § 3). Est autem, quamvis necessarium, ita grave vulnus, quod per interpositionem potestatis metropolitanae auctoritati tum Suffraganeorum infertur, ut non possit Metropolita visitationem peragere, nisi causa prius fuerit ab Ap. Sede et cognita et probata. Habet namque Metropolita tempore visitationis potestatem amplissimam, nedum quoad visitationis obiectum (cfr. can. 344), verum etiam quoad pastorale ministerium in actu visitationis exercendum, imo quoad delicta antea perpetrata, dummodo notoria fuerint (cfr. can. 2197, n. 2 et 3), punienda. Huius metropolitanae potestatis fines, occasione canonicae visitationis dioecesecon suffraganearum, taxative in canone describuntur. Quare etiam, ob silentium canonis et regulam supra (n. 1) allatam, non videntur Metropolitani habere tum potestatem legislativam, ac proinde non posse decreta ferre, de quibus in can. 345 : quod, ceterum, et vetus ius potestati metropolitanae subtrahebat.

6. *In omnibus ecclesiis, etiam exemptis*, etc. — Ecclesiae exemptae, de quibus hic agitur, sunt ecclesiae religionis exemptae a iurisdictione Ordinariorum localium (cfr. can. 337, § 1), quae intra fines provinciae, Metropolitano subiectae, reperiuntur. Scilicet, hac in re, Metropolita eodem iure expresse concesso gaudet, quo Suffraganeus in proprio territorio (ibid.). Ob rationes vero supra allatas (cfr. comm. ad can. 269, n. 3) nihil agere potest in ecclesiis cathedralibus, nisi Ordinario loci praemonito. Ut autem agere possit in ecclesiis aliquid, quod iurisdictionem importet (qua in iurisdictione comprehenditur etiam, ut patet, exercitium potestatis ordinis), indiget omnino aut facultate apostolica aut consensu Suffraganeorum.

7. *Appellationem recipere a sententiis*, etc. — Ex veteri iure et can. 1572, § 1, ordinarius primae instantiae iudex est loci Ordinarius, secundae vero instantiae Metropolita (can. 1594, § 1), denique iudex extraordinarius, ad quem *integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, deferre*, est Ap. Sedes (can. 1569) per S. R. Rotam. Est igitur in potestate ordinaria Metropolitae, recipere appellationes, quae sibi legitime delatae fuerint a sententiis definitivis aut etiam interlocutoriis, vim habentibus definitivarum, in Curiis Suffraganeorum prolatis. Definitiva ea sententia dicitur, qua causa principalis ; interlocutoria, qua incidens causa dirimitur. Tum vero dicitur sententia interlocutoria vim habere definitivae, cum, quamvis non dirimat, causam tamen principalem in ea instantia perimit: quia ex. c. iudex per sententiam interlocutoriam declarat appellationem esse iure interdictam aut de facto desertam ; vel minorem, qui petiit restitutionem in integrum, minorilem aetatem excessisse ; vel se non esse in ea causa competentem ; vel exceptionem peremptoriam esse admittendam, etc. (cfr. Reiffenstuel, *Ius can. univ.* lib. II, tit. XXVII, nn. 17-24). A ceteris autem sententiis interlocutoriis, post Conc. Tridentinum (Sess. XIII, c. I *de reform.*), non datur appellatio, nisi haec cum appellatione a sententia definitiva (can. 1880, n. 6) cumulata fuerit.

8. *Controversiae de quibus*, etc. — Sunt controversiae, quas minus decet Suffraganeum ipsum dirimere, veluti si agatur de iuribus aut bonis temporalibus ipsius Suffraganei eiusve Curiae. Itaque potest tum controversia, in prima quoque instantia, ad Metropolitam deferri (can. 1572, § 2). Ut autem, quae hactenus de potestate metropolitana exposuimus, paucis verbis resumamus, fruitur Metropolita, quibusdam in casibus a iure expresse statutis, in Suffraganeorum territorio, potestate executiva atque iudiciaria, nulla vero legislativa potestate ; praeterea, omnibus iuribus honorificis, quibus gaudet in territorio suo.

Can. 275.

Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a consecratione vel, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in Consistorio, per se vel per procuratorem a Romano Pontifice pallium petendi, quod significat potestatem archiepiscopalem.

1. Pallium duplex: aliud graecum, aliud latinum. Unde et duplex forma et, quod magis interest, duplex significatio. Quoad pallii graeci significationem, refert Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.*, I, lib. II, cap. 53, n. 1) Isidori Pelusiotae (circ. a. 440) verba (l. I, ep. 136): *Episcopi pallium, ὠμοφόριον, ex lana non ex lino contextum, ovis illius quam Dominus aberrantem quaesivit inventamque humeris suis sustulit, pellem significat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque etiam ipso habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Quare merito omnes graeci Episcopi, nulla graduum habita ratione, iure pallii fruuntur ipsumque, etiam coram R. Pontifice, ubique deferunt, temporibus et locis per sacros eorum canones constitutis (cfr. Trombetta, *De Pallio archiep.*, p. 44-46). Praeterea, a tempore Conc. Lateranensis IV (a. 1215) ab Innocentio Pp. III habito, haec recepta est disciplina, ut Patriarchae orientales solummodo — ita Concilium — *postquam a Romano Pontifice receperint pallium... licenter et ipsi suis suffraganeis pallium largiantur.*

2. *Metropolita obligatione tenetur*, etc. — Pallium latinum potestatem metropolitanam significat: unde ex iure communi soli Metropolitae, a R. Pontifice petere possunt (ex privilegio vero personali vel locali etiam quidam Episcopi, atque Archiepiscopi *honoris causa*) et debent intra tempus a iure statutum, sive per se sive per procuratorem, semper tamen *alicuius Advocati consistorialis voce et opera* (Benedictus Pp. XIV, const. *Inter conspicuos*, 29 aug. 1744, § 17).

Can. 276.

Quare ante pallii impositionem , excluso speciali indulto apostolico, ipse illicite poneret actus sive iurisdictionis metropolitanae, sive ordinis episcopalis in quibus, ad normam legum liturgicarum, usus pallii requiritur.

Canonis huius praescriptum ex canone praecedenti necessario descendit, eiusque veluti sanctionem continet. Pallii disciplina universa, sicut et potestas metropolitana ab eodem significata, ex iure mere ecclesiastico consistit, ac proinde, salva naturali aequitate, hac in re R. Pontifex omnia potest. Scilicet potuisset Legislator omnes actus iurisdictionis

metropolitanae, imo etiam ordinis episcopalis, ex iure mere ecclesiastico consistentes, ante pallii impositionem positos, irritare, eodem plane modo, quo potest per speciale indultum pallii impositionem prorogare vel metropolitanam iurisdictionem sine pallio concedere. Veruntamen Legislator actus, de quibus supra, illicitos tantum declarat: quare, cum de liceitate non de validitate agatur, actus quoque ordinis episcopalis, qui ex potestate divino iure collata perficiuntur, comprehendit, dummodo pallii usum requirant. Inde quoque videtur nobis Praesul provinciae ecclesiasticae praefectus, etiam ante pallii impositionem, et facto et iure esse Metropolita seu Archiepiscopus: habet namque metropolitanam potestatem, quamvis suspensum sit eius exercitium, perinde ac Episcopus, ab exercitio potestatis episcopalis per censuram suspensus, dioecesis Ordinarius esse non desinit. Aliter esset, si lex actus irritasset: tum namque potestas metropolitana, non ex provisione canonica (cfr. can. 109), sed ex impositione pallii descendere videretur. Et hac de causa in praeced. canone non legimus, metropolitanam pallium potestatem conferre, sed significare.

CAN. 277.

Metropolita uti potest pallio intra quamlibet ecclesiam etiam exemptam suae provinciae in Missarum sollemnibus, diebus in Pontificali Romano designatis aliisque forte sibi concessis; nullatenus vero extra provinciam etsi Ordinarii loci consensus accedat.

Pallium potestatem metropolitanam significat. Hinc ibi tantummodo deferri potest, ubi potest haec potestas exerceri: quare etiam et immerito et non sine alterius iniuria extra provinciam sibi subditam Metropolita deferret. Non sine iniuria: et sub hoc respectu difficultatem tolleret Ordinarii loci consensus; immerito, idest sine ratione; et ideo consensus huiusmodi, ex canonis praescripto, inutilis est.

CAN. 278.

Si Metropolita pallium amittat vel ad aliam sedem archiepiscopalem transferatur, novo indiget pallio.

Pallium, ait Reiffenstuel (*Ius can. univ.* lib. I, tit. VIII, n. 20) *datur personae, sed contemplatione loci seu Ecclesiae sibi subiectae.* Scilicet pallium ad iura singularia mixta pertinet, quae hinc personalia illinc vero realia sunt: significat namque exstrinsecus potestatem supra-episcopalem, nempe pontificiam, quam habet talis Metropolita in talem ecclesiasticam provinciam. Et quia de iure singulari agitur, quod extensivam interpre-

tationem non recipit, inde qua reale est, loco cohaeret ; quare Metropolita novum pallium petere debet (quod in novam provinciam potestatem significet), si ad aliam sedem transferatur, et haec sit archiepiscopalis ; si vero non sit, nec novum petere potest nec veteri uti. Quod autem tum quoque novum petere debeat, cum vetus amiserit, patet ex iis quae antea diximus : nempe pallium metropolitanam potestatem significare. Interim vero ab actibus ordinis episcopalis in quibus usus pallii requiritur, illi abstinendum est.

Can. 279.

Pallium neque commodari potest neque donari nec in morte alicui relinqui, sed omnia pallia quae Metropolita obtinuit, cum eodem sunt sepelienda.

Pallium, ut supra diximus, datur personae : videlicet qua ius personale, quod personam non excedit. Et inde est, quod Metropolitae personae ita inhaeret, ut ne eius quidem in eadem sede successor eo uti possit, et *a fortiori* neque possit alii Metropolitae, idest ut eo utatur, commodari. Quia vero pallium potestatem ecclesiasticam, et sane supra-episcopalem significat, cui renuntiare nemo potest sine eius qui eam dedit consensu, hinc statutum esse videtur, non posse Metropolitam, sive per actum inter vivos sive mortis causa positum, pallium alienare, ne personae quidem quae pallii usum non habeat. Imo omnia pallia, quae Metropolita obtinuerit, cum eius sunt cadavere ad normam legum liturgicarum sepelienda.

Can. 280.

Patriarcha praecedit Primati, Primas Archiepiscopo, hic Episcopis, salvo praescripto can. 347.

Tandem gradibus supra-episcopalibus ius honorificum praecedentiae competit, prout in canone definitur : ita tamen, ut in suo territorio Episcopus omnibus praecedat, excepto proprio Metropolita et *a fortiori* Legatis R. Pontificis ac S. R. C. Cardinalibus (can. 347).

CAPUT VII.

DE CONCILIIS PLENARIIS ET PROVINCIALIBUS.

Can. 281.

Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum in Concilium plenarium convenire possunt, petita tamen venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum.

1. Praeter Cardinales, Curiam Romanam, R. Pontificis Legatos atque Metropolitas, supremam quoque potestatem iure ecclesiastico participant Concilia particularia. Magna fuit in iure canonico conficiendo horum Conciliorum efficacia. *Post tempora apostolica*, ait Thomassin (*Vetus et nova Eccl. disc.* II, lib. III cap. 45) *ad calcem usque secundi Ecclesiae saeculi, nulla usquam existunt impressa conciliorum vestigia.* Scilicet, videtur primum Concilium particulare habitum fuisse in Urbe, a. circ. 196 sub Septimio Severo Aug., a Victore Pp. I. Ex can. vero 5 Concilii oecum. Nicaeni (a. 325) et can. 17 Chalcedonensis (a. 451), bis in anno Concilium provinciale erat a Metropolitis coadunandum. A saec. autem VI, praxis introducitur celebrandi quotannis, et ab a. 1425, quo Martinus Pp. V canones Conc. Constantiensis ex parte approbavit, tertio quoque anno. Convocabantur, Concilia quidem provincialia a Metropolitis, plenaria vero a Patriarchis atque Primatibus, sed quandoque etiam a Principibus saecularibus; iidemque Patriarchae, Primates, Metropolitae, ac interdum etiam R. Pontificis Legati, Conciliis praesidebant; nec, usque ad Sixti Pp. V const. *Immensa* (a. 1589), tenebantur Concilia huiusmodi, decreta a se lata approbationi R. Pontificis subiicere. Inter Concilia particularia ante promulgationem Codicis celebrata, celeberrima fuerunt Concilia plenaria Africae proconsularis, Carthagine habita; Hispaniensia, habita Toleti; ac nostro tempore tria Concilia Baltimorensia (a. 1852, 1866, 1884). Videamus igitur prius de iis, quae Conciliorum plenariorum propria sunt.

2. *Ordinarii plurium provinciarum* etc. — Nulla est in Ecclesia circumscriptio territorialis, quae provinciam ecclesiasticam excedat. Hinc cuiusque generis Concilia, sive regionalia, sive nationalia, sive continentalia, ad quae plurium provinciarum ecclesiasticarum Ordinarii conveniant, uno nomine plenaria vocantur. Porro Concilia huiusmodi, sicuti et provincialia, auctoritate pontificia celebrantur: eorum namque decreta in plures semper dioeceses, veluti unicum territorium consideratas, feruntur, et ideo excedunt fines potestatis episcopalis. Nec difficultatem facit, quod latae leges ab iisdem dioeceseon Ordinariis proveniant, qui singillatim ferre possent: nam, nedum leges huiusmodi feruntur interdum, ad normam can. 101 § 1 n. 1, per maioritatem relativam suffragiorum, verum etiam ad eas plerumque necessitates subveniendas, quae pluribus dioecesibus communes sunt. Utcumque, in Conciliorum particularium legibus rogandis, quilibet Ordinarius suffragium ferens, non solum in suos, sed in alienos quoque subditos legislativam potestatem exercet, quae sane in episcopali iurisdictione non continetur. Ad rem Leo Pp. XIII (ep. *Quum diuturnum*, 25 dec. 1898) ad Ordinarios Americae latinae de convocando in Urbe Concilio plenario: *Optimum autem... fore perspeximus, si quotquot essetis ex istis civitatibus Episcopi consultum inter vos, invitatu*

et auctoritate nostra, conveniretis. Siquidem conferendis consiliis sociandisque prudentiae fructibus, quos cuique vestrum usus rerum peperisset, apte per vos provisum iri intelligebamus, ut apud eas gentes, quas idem aut certe cognatum genus coniunctas teneret, unitas ecclesiasticae disciplinae salva consisteret, vigescerent digni catholica professione mores, atque concordibus bonorum studiis Ecclesia publice floreret. Proinde merito Concilia particularia et sine consensu R. Pontificis, cum desit potestas, valide celebrari non possunt, et vel ab eo, qui a R. Pontifice tanquam *ab homine* Legatus designatus est, vel a Metropolita, qui delegatur *a iure*, convocantur et praesidentur. Haec, secus ac alibi nobis visum est, regula : cui si plus minusve antiquitus derogatum est, id ex eo accidit quod Ap. Sedes, circumstantiis ita postulantibus, in ampliorem potestatem Episcoporum consentiebat.

Can. 282.

§ 1. *Concilio plenario assistere debent cum suffragio deliberativo, praeter Legatum Apostolicum, Metropolitae, Episcopi residentiales, qui, sui loco, mittere possunt Coadiutorem vel Auxiliarem, Apostolici dioecesium Administratores, Abbates vel Praelati « nullius », Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici, Vicarii Capitulares.*

§ 2. *Etiam Episcopi titulares, in territorio degentes, si a Legato Pontificio, secundum receptas instructiones, ad Concilium vocentur, adesse debent habentque suffragium deliberativum, nisi in convocatione aliud expresse caveatur.*

§ 3. *Alii ex utroque clero viri, forte ad Concilium invitati, suffragio non gaudent nisi consultivo.*

1. *Concilio plenario assistere debent* etc. — In primis recensentur in canone Ordinarii, qui in Concilio plenario suffragium deliberativum ex iure habent. Quocirca, statim animadvertitur discrimen inter Concilium oecumenicum et plenarium : siquidem, praeter eos qui in utroque habent deliberativum suffragium, nempe Episcopos residentiales (sive Patriarchae, sive Primatis, sive Metropolitae nomine veniant, dummodo, si agatur de Concilio plenario, in territorio Concilio subiecto potestatem exerceant), sunt qui in illo habent, in hoc vero non habent, et vicissim. In Concilio oecumenico suffragio deliberativo ex iure gaudent Cardinales non Episcopi, Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum : hi omnes, ut patet, sive quia regulariter in Urbe degunt, et ideo potestatem exercent extra territorium Concilii iurisdictioni subiectum ; sive praesertim quia, cum vel ad Romanas Congregationes pertineant vel iurisdictionem personalem in subditos habeant, eorum potestas orbem universum comprehendit : locum non habent in Concilio plenario, cuius finis est consulere

necessitatibus peculiaribus alicuius determinatae regionis. Vicissim, ob hanc praecise causam, in Concilio plenario habent ex iure suffragium deliberativum Administratores, Vicarii, Praefecti Apostolici (qui nempe officio funguntur in regionibus, in quibus partim sacra hierarchia constituta est, partim vero status missionis perseverat) ac Vicarii capitulares : quorum alii in Concilio oecumenico nunquam, alii vero quandoque tantum et ex privilegio, suffragio deliberativo gaudent. Est namque Concilium oecumenicum conventus Episcoporum residentialium, idest eorum, qui Ecclesiis particularibus ita praeficiuntur, ut nomine proprio ordinariam iurisdictionem exerceant. At his Administratores, Vicarii ac Praefecti Apostolici et *a fortiori* Vicarii capitulares, quamvis forte charactere episcopali ornati, quia iurisdictionem exercent alieno nomine, nempe R. Pontificis aut Capituli cathedralis cuius vices gerunt, adnumerari non possunt. Eademque de causa, possunt Episcopi residentiales, sui loco, ad Concilium plenariun cum iure suffragii deliberativi mittere Coadiutorem vel Auxiliarem, qui contra ad Concilium oecumenicum mitti non possunt, nisi procuratoris nomine.

2. *Etiam Episcopi titulares* etc. *Alii ex utroque clero viri* etc. — Sicuti ad Concilium oecumenicum, ita etiam ad plenarium invitari possunt, si id ferant receptae a Legato R. Pontificis instructiones, Episcopi titulares in territorio degentes. Quod si invitati fuerint, et ad Concilium ire debent et gaudere censentur, ut eorum dignitas postulat, iure suffragii deliberativi, quod tum ius simul cum potestate idem exercendi a R. Pontifice, vi instructionum exhibitarum, ex privilegio confertur: nullam enim, qua Episcopi titulares sunt, in Ecclesia iurisdictionem habent. Contra, theologi et canonistae, qui ad Concilium invitati fuerint, non quidem ut auctoritate officii decernant, sed uti scientiae lumine auxilio sint Patribus, ut fert delatum iis munus, gaudent suffragio consultivo tantum. Et modo veniamus ad ea, quae propria sunt Concilii provincialis.

CAN. 283.

In singulis provinciis ecclesiasticis celebratur provinciale Concilium vigesimo saltem quoque anno.

Cum a R. Pontifice indirecte vel directe convocentur, nullum tempus Conciliis plenariis, sicuti et oecumenicis, a iure statuitur : quare illa celebranda sunt quoties, Episcoporum, Metropolitarum ac praesertim Primatum iudicio, necessitas expostulaverit. Contra, iure positivo praecipiente, Concilium provinciale in unaquaque provincia ecclesiastica vigesimo saltem quoque anno celebrandum est. Quod quidem legis iussum eos praesertim tenet, quorum est Concilium convocare. Sed hac in re provinciae ecclesiasticae Italiae, exceptis provinciis Venetiarum,

Mediolanensi, Vercellensi, Taurinensi ac Ianuensi, peculiari lege reguntur: cum enim *aetatum decursu tum ethnographicis rationibus tum etiam politicis perturbationibus...* factum sit, ut *ex metropolibus non paucis aliae suffraganeis sedibus sint orbatae, aliae unam vel alteram retinuerint*, inde *provincialium Conciliorum loco... habebuntur vicesimo quoque anno Concilia plenaria per regiones* (S. Congr. Consist., 15 febr. 1919), Latio superiore ac inferiore non excluso (ead. S. Congr., 22 mart. 1919).

Can. 284.

Metropolita, eoque legitime impedito vel sede archiepiscopali vacante, Suffraganeus antiquior promotione ad Ecclesiam suffraganeam:

1° *Locum ad celebrandum Concilium intra provinciae territorium, auditis omnibus qui assistere debent cum suffragio deliberativo, eligit; cessantibus tamen iustis impedimentis, metropolitana ecclesia ne negligatur;*

2° *Concilium convocat eique praeest.*

1. *Metropolita, eoque legitime impedito* etc. — Habet provincia ecclesiastica, qui ipsi iure communi praesit, nempe Metropolitam (can. 272). Praeceptum igitur Concilium provinciale coadunandi primum et directe Metropolitam respicit. Sed evenire potest, ut Metropolita aliquo impedimento legitime detineatur, veluti si pallium nondum receperit (can. 276); si a provincia absit ob commissum ei munus a R. Pontifice; si captivus, relegatus, in exilium pulsus fuerit aut prorsus sit sive aetate sive morbo ad officium explendum inhabilis; itemque potest contingere, uti vacet sedes metropolitana: tum vero obligatio atque ius coadunandi Concilii, non quidem in Metropolitae Coadiutorem aut Auxiliarem, si quem habeat, sed in Episcopum, qui omnium primus promotus est ad dioecesim Metropolitae suffraganeam, transfertur. Quod si Metropolitae impedimentum legitimum non appareat, videtur oportere, ut Suffraganeus antiquior recursum interponat apud Ap. Sedem.

2. *Locum ad celebrandum Concilium* etc. — Est igitur Concilii provincialis coadunandi ius et obligatio apud Metropolitam vel antiquiorem Suffraganeum. Quare, eius est locum eligere, Concilium convocare eique praesidere. Locus, iure ipso statutus, est ecclesia metropolitana. Quod si iustum extet impedimentum, quominus haec eligatur, alius tempestive statuendus est intra territorium provinciae; sed tum tenetur qui Concilium cogit, ad sententiam exquirendam eorum omnium, qui ad normam can. 286 § 1, et suffragio deliberativo in Concilio ex iure gaudent, et convenire debent: non proinde Episcoporum titularium (cfr. ibid. § 2), Capitulorum cathedralium aut Superiorum maiorum regularium (cfr. ibid. § 3 et 4). Tamen, iuxta praescriptum can. 105 § 1, quamvis multum sit deferendum eorum suffragiis, nihilominus absolute non tenetur, etsi concordem, sententiam sequi.

CAN. 285.

Episcopi, qui nulli Metropolitae subiiciuntur, Abbates vel Praelati « nullius », et Archiepiscopi Suffraganeis carentes, aliquem viciniorem Metropolitam, nisi forte iam elegerint, semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae approbatione eligant, cuius Concilio provinciali cum aliis intersint, et quae ibi ordinata fuerint, observent et observanda curent.

Sunt, praesertim in Italia, ut supra vidimus (cfr. comment. ad can. 283) Episcopi Ap. Sedi immediate subiecti, itemque Archiepiscopi *honoris causa*, nempe Suffraganeis carentes ; sunt praeterea Abbates ac Praelati *nullius*, qui ex eo praecisae quod territorio praesunt *nullius* inferioris Ordinarii, sed tantummodo R. Pontificis iurisdictioni subiecto, Metropolita carent. Hi omnes igitur, ne eorum subditi defraudentur beneficiis, quae ex concordibus deliberationibus Pastorum derivare solent, Metropolitam inter viciniores eligere tenentur, cuius Concilio provinciali, perinde ac si essent eius Suffraganei, cum suffragio deliberativo intersint. Id autem faciendum est semel pro semper ; et quia, praeter rationes ordinis generalis, ob leges conciliares simul ferendas, est in causa extensio iurisdictionum, praeire debet approbatio Ap. Sedis.

CAN. 286.

§ 1. *Praeter Episcopos, Abbates vel Praelatos « nullius » et Archiepiscopos de quibus in can.* 285, *ad Concilium provinciale vocandi sunt et convenire debent cum voto deliberativo Suffraganei omnes aliique de quibus in can.* 282, § 1.

§ 2. *Episcopi titulares qui in provincia degunt possunt a praeside, cum consensu maioris partis illorum qui cum voto deliberativo intersunt, convocari, et si convocentur, votum habent deliberativum, nisi aliud in convocatione caveatur.*

§ 3. *Capitula cathedralia aut consultores dioecesani cuiusvis dioecesis cuius Ordinarius ad normam* § 1 *vocari debet, invitentur ad Concilium et invitati mittant duos ex capitularibus aut consultoribus collegialiter designatos, qui tamen obtinent votum tantum consultivum.*

§ 4. *Maiores quoque religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum Superiores, qui in provincia resident, invitandi sunt, debentque invitati adesse aut impedimentum, quo detinentur, Concilio notum facere; sed his, quemadmodum aliis ex utroque clero viris ad Concilium forte vocatis, votum est dumtaxat consultivum.*

1. *Episcopi titulares* etc. — Secus ac in Concilio plenario, ad quod Episcopi titulares vocandi sunt aut minus iuxta R. Pontificis instructiones

(can. 282 § 2), ad Concilium provinciale iidem Episcopi vocari non possunt, nisi cum consensu Patrum ; qui consensus, ad validitatem, praestitus esse debet a maioritate, idest absoluta (cfr. can. 101 § 1) eorum.

2. *Capitula cathedralia aut consultores* etc. — Capitula cathedralia, sicuti etiam, ubi haec desunt, consultores dioecesani (cfr. can. 423), tanquam senatus et consilium Episcopos adiuvant ac, sede vacante, eorum vices supplent in dioecesis regimine (can. 391). Est igitur maxima, in dioecesibus post Episcopum, dignitas Capitulorum cathedralium. Sed praeterea Capitula cathedralia, propter perpetuitatem ipsis qua personae morales sunt, inhaerentem, veluti etiam custodes ac testes habentur traditionum particularium Ecclesiarum. Denique in Conciliis provincialibus haud raro quaestiones tractantur, quae ad Capitula cathedralia pertineant. Qua de causa Innocentius Pp. III, Capitulis provinciae Senonensis, adversus suos Ordinarios, qui Concilio Capitula excludere conabantur, appellantibus (c. 10 X *de his, quae fiunt a prael. sine consensu Capit.* III, 10), respondit, *Capitula* (nempe cathedralia) *ad eiusmodi concilia invitari debere et eorum nuncios ad tractatum admitti, maxime super illis, quae ipsa capitula contingere dignoscuntur.* Hisce ergo de causis Capitula cathedralia dioeceseon, quarum Ordinarii ad Concilium provinciale convocari debent, sunt et ipsa ad idem Concilium invitanda. Et ad Synodum quidem dioecesanam Capitulum cathedrale universum invitatur (can. 358, § 1, n. 2) ; at nulla est ratio, quare collegialiter interveniat Concilio provinciali. Unde, uti decet personam moralem collegialem, invitatio in Capitulo obligationem parit, duos ex capitularibus per actum collegialem, ad normam can. 101, § 1, designandi, qui in Concilio Capituli personam gerant, tanquam deputati seu procuratores ; sed cum suffragio consultivo tantum : ad testandum namque vel interloquendum, non ad decernendum Capitulum invitatur.

3. *Maiores quoque religionum* etc. — Praeter Capitula cathedralia, ac ea praesertim de causa, quod potest Concilium provinciale, et secundum ius commune quaedam decernere, quae directe, et praeter commune ius, quae regulares quoque indirecte respiciant, invitari debent ad Concilium Superiores maiores (idest provinciales vel qui his acquiparentur) religionum clericalium exemptarum, nec non Congregationum monasticarum, qui nempe pluribus monasteriis sui iuris ac inter se coniunctis (cfr. can. 488, n. 2) praesunt (non ideo, ex iure, singulorum monasteriorum Superiores quamvis abbatiali dignitate ornati), si in provincia resideant, idest domicilium habeant. Ex adverso autem, hi omnes, ex iuris communis auctoritate, cum invitati fuerint, adesse tenentur. Sed, sicut Capitula cathedralia et sicut etiam theologi ac canonistae, qui ad Concilium fuerint vocati, invitandi ratione ita postulante, non habent nisi consultivum suffragium. Recensuit itaque Legislator, quinam sint ad Concilium plenarium aut provin-

ciale vocandi. Sed quid de numero intervenientium? Sane videntur nobis principia generalia esse applicanda, nempe: 1) Omnes, ad convocationis validitatem, legitime invitari oportere; 2) Ad Patres, qui praesentes sunt, ius agendi spectare, dummodo cum praeside ternarium saltem numerum efficiant, qui procul dubio requiritur, uti collegium legitime agere possit (cfr. can. 101, § 1 et 163). Hactenus de iis, quae Concilii provincialis sunt propria : modo dispiciendum restat de iis, quae tum plenario tum provinciali Concilio communia sunt.

CAN. 287.

§ 1. *Qui Concilio plenario aut provinciali interesse debent cum voto deliberativo, si iusto impedimento detineantur, mittant procuratorem et impedimentum probent.*

§ 2. *Procurator, si fuerit unus ex Patribus quibus est votum deliberativum, duplici voto non gaudet; si non fuerit, habet votum dumtaxat consultivum.*

Canon est, fere ad verbum, canoni 224 de Concilio oecumenico parallelus. Discrimen in eo positum est, quod procurator, qui ex Patribus non sit, in Concilio quidem oecumenico nullo suffragio ; in Concilio vero particulari suffragio consultivo gaudet. Cuius discriminis ratio derivare videtur a diversa natura Conciliorum (cfr. comment. ad can. 224).

CAN. 288.

In Concilio sive plenario sive provinciali praeses, habito, si de provinciali agatur, Patrum consensu, determinat ordinem servandum in quaestionibus examinandis et ipsum Concilium aperit, transfert, prorogat, absolvit.

Canon non indiget explicatione. Ratio, quare in Concilio plenario ad Patrum consensum praeses requirendum non tenetur, inde profluit, quod tum Legatus secundum R. Pontificis instructiones agit.

CAN. 289.

Concilio plenario vel provinciali inchoato, nemini eorum qui interesse debent, licet discedere, nisi iustam ob causam a Legato Pontificio vel a Concilii provincialis Patribus probatam.

Canon est canoni 225 parallelus (cfr. comment. ad eund. can.) et per se clarus. Et redit discrimen, quod praeced. can. innuimus, inter auctoritatem praesidis in Concilio plenario ac provinciali.

Can. 290.

Patres in Concilio plenario vel provinciali congregati studiose inquirant ac decernant quae ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam, opportuna fore pro suo cuiusque territorio videantur.

Agitur in canone de potestate Conciliorum particularium. Quocirca in primis animadvertendum est, non posse Concilii provincialis decreta, decretis Concilii plenarii derogare. Quod planum est. Deinde potestas Conciliorum particularium est ordinaria, quia ex ipsius dispositione iuris officio episcopali adnexa (cfr. can. 197, § 1) ; idque, quamvis raro exerceatur, et delegata sit potestas praesidis Concilii plenarii. Quod per tenorem supra allati canonis aperte confirmatur : confertur namque Conciliis particularibus potestas amplissima, legislativa, iudiciaria, executiva in territorium universum Concilii iurisdictioni subiectum. Modus autem decernendi, cum nihil peculiariter iure communi statuatur, desumendus esse videtur a regula generali de actibus personarum moralium collegialium (can. 101, § 1).

Can. 291.

§ 1. *Absoluto Concilio plenario aut provinciali, praeses acta et decreta omnia ad Sanctam Sedem transmittat, nec eadem antea promulgentur, quam a Sacra Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint ; ipsimet autem Concilii Patres designent et modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipiant.*

§ 2. *Decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo, nec Ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa.*

1. *Praeses acta et decreta omnia* etc. — Acta Conciliorum particularium promulgari non debent, et si promulgata fuerint nullam habent vim obligandi, antequam ab Ap. Sede, per S. Congr. Concilii, expensa et recognita fuerint. Quod, nedum opportunum, sed iustum quoque est, cum Concilia particularia ex potestate supra-episcopali ab Ap. Sede participata decernant. Ideo autem sibi Ap. Sedes huismodi recognitionem reservat, ut nihil in actis appareat, quod iuri communi repugnet. Ceterum recognitio pontificia actorumque approbatio in *forma communi* exhibita, conciliarium actorum naturam non immutat.

2. *Decreta Concilii plenarii et provincialis* etc. — Conciliorum particularium decreta, tanquam leges supra-episcopales, perinde ac potestas a qua defluunt, habenda sunt. Hinc consequitur : 1) Tenere universum territorium Conciliorum iurisdictioni subiectum, ac in eo Synodorum dioecesanarum atque singulorum Episcoporum (Metropolita non excepto) legibus derogare ; 2) Per se non posse singulos Ordinarios, ut accidit de generalibus Ecclesiae legibus (can. 81), ab huiusmodi decretis dispensare, nisi aliter in decretis ipsis expresse caveatur. Sed iure communi positivo, fit Ordinariis iisdem facultas dispensandi, dummodo agatur de casu particulari et iusta causa adsit : quorum si alterutrum defuerit, ob defectum potestatis, dispensatio nedum illicita, sed irrita quoque est.

CAN. 292.

§ 1. *Nisi aliter pro peculiaribus locis a Sede Apostolica provisum fuerit, Metropolita, eoque deficiente, antiquior e Suffraganeis ad normam can.* 284, *curet ut Ordinarii locorum, saltem quinto quoque anno, stato tempore apud Metropolitam aliumve Episcopum comprovincialem conveniant, ut, collatis consiliis, videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur, eaque praeparent de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum.*

§ 2. *Etiam Episcopi aliique de quibus in can.* 285, *una cum aliis Ordinariis convocari et convenire debent.*

§ 3. *Iidem Ordinarii congregati sedem proximi conventus designent.*

1. *Nisi aliter pro peculiaribus* etc.— Concilia provincialia, quae antiquitus cogebantur quotannis, modo vigesimo quoque anno tantum celebrari debent ; Concilia vero plenaria etiam rarius celebrantur. Intercapedinem complent conventus Episcoporum comprovincialium, qui, ad normam huius canonis, quinto saltem quoque anno peragendi sunt, quosque convocandi obligatio ad eos pertinet, quorum est convocare Concilium provinciale. Atque ita, ut ait Wernz-Vidal (*Ius canon.* tom. II, n. 542) *fit satis voto Concilii Vaticani de synodo provinciali quinto quoque anno adunanda.* Quocirca tamen, uti canon expresse innuit, iuris quoque particularis, ab Ap. Sede constituti, ratio est habenda. Ita in Italia, ubi, ut supra vidimus, quoad Concilia provincialia ac plenaria peculiaris praxis introducta est, ex decr. S. Congr. Concistorialis 22 mart. 1919, Episcoporum conventus et per regiones (non per provincias) peragendi sunt, et quotannis. Ideoque autem sunt conventus huiusmodi faciliores, quod nullo apparatu congregantur, quod omnia aguntur *de plano*, quod denique neque Capitula cathedralia, neque Superiores maiores regulares, de quibus in can. 286 § 3 et 4, convocantur.

2. *Videant quaenam in dioecesibus* etc. — Quoad negotia hisce in conventibus discutienda, praeter sedis proximi conventus designationem ac praeparationem negotiorum, de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum, paucis verbis se expedit Legislator : *Videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur.* Neque inter fontes refertur instructio a S. Congr. Episcopor. et Regular. Episcopis Italiae 24 aug. 1889 exhibita ; idque ea fortasse de causa, quod instructio huiusmodi *peculiarem* tantum *locum*, Italiam nempe, respiciebat. At non videtur eadem instructio esse negligenda, praesertim si ratio habeatur proëmii alterius decreti, quod 22 mart. 1919, idest vigente iam Codice, edidit de eadem re S. Congr. Consistorialis. Hoc namque in proëmio S. Congregatio, cum animadverteret, priorem illam instructionem *saxisse praxim conventuum episcopalium* usque ab a. 1849 in pluribus Italiae regionibus inductam, proculdubio generaliter loquebatur. Imo in priore instructione illa, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, postquam commemoravit *exempla haud minus praeclara* (nempe in huiusmodi conventibus celebrandis) *difficillimis etiam temporibus ab aliarum nationum episcopatu praestita*, subdit : *Quia vero placuit Aug. Pontifici honorificum mihi munus committere, instructiones, quae sequuntur, communicare studeo.* Videntur igitur concisa canonis verba, per verba prolixiora harum instructionum explicari posse. Ait itaque S. Congregatio, coadunari Episcopos, *ut collatis consiliis et dirimere valeant difficultates, quae sibi in suis regendis dioecesibus occurrunt ; et ecclesiasticae disciplinae uniformitatem promovere ; et, si id rerum adiuncta suaserint, cuiusvis generis actus collectivos perficere.* Quae quidem, nihil impedire quominus Episcopi, absolutis conventibus, et *datis litteris* praestare possint (§ 2). Idque in genere. In specie vero hic est *conferendorum consiliorum* finis : optima cleri in Seminariis educatio; electio atque usus adminiculorum, quibus idem clerus pietate firmetur, ad bona studia incitetur, a saecularibus negotiis retrahatur, zelo inflammetur, eiusque operositas quam aptissima efficiatur in commodum Ecclesiae ac societatis civilis. Quoad fideles vero : cathechesis variis aetatibus atque conditionibus idoneae praestatio ; scholarum catholicarum incrementum; bonorum librorum ac diariorum, Religionem et moralem tuentium, diffusio; piarum associationum laicarum ab Ecclesia approbatarum progressus ; divini cultus decor atque frequentia, eorumque sodalitiorum ac institutorum introductio et augmentum, quibus et christiana iuventus mundi periculis subtrahitur, et opificum ordines ad piam vitam excitentur, et ad sacramenta suscipienda frequentia augeatur (§ 5). Quamvis igitur conventus episcopales privatam saepe, de facto, consiliorum collationem non excedant, qua communes ecclesiastici regiminis difficultates aptius elidantur ; ac per litteras, ad clerum populumque subiectarum dioeceseon datas, nonnisi quasdam clericalis et christiane vitae regulas inculcent ; videntur tamen

posse, si difficiliora negotia extiterint, quae moram non patiantur, firmiore illa auctoritate uti, quae oritur ex concordia sententiarum, ad ea quoque communi actu expedienda. Tum vero, congrua congruis referendo, agendum est Episcopis, perinde ac si in Concilio provinciali essent congregati.

CAPUT VIII.

DE VICARIIS ET PRAEFECTIS APOSTOLICIS.

CAN. 293.

§ 1. *Territoria quae erecta non sunt in dioeceses reguntur per Vicarios aut Praefectos Apostolicos ; qui omnes ab una Apostolica Sede nominantur.*

§ 2. *Vicarius et Praefectus Apostolicus possessionem sui territorii capiunt, ille litteras apostolicas, hic decretum seu patentes litteras Sacrae Congregationis de Prop. Fide per se vel per procuratorem ostendentes ei qui territorium regit ad normam can.* 309.

1. *Territoria quae erecta non sunt*, etc. — Legimus in Apostolorum *Actibus* atque epistolis, consuevisse Apostolos Christi, statim ac in regione quadam non sine salutari fructu evangelium praedicaverant, Episcopos, qui primas illas pascerent communitates fidelium, constituere ; ipsos vero ad alias tum gentes fidei acquirendas properare esse solitos. Hinc officium, definitam partem christiani gregis pascendi, tanquam eorum proprium et proprio nomine exercendum, in Episcopos transiit ; munus vero evangelii infidelibus vel acatholicis praedicandi in orbe universo, transiit tanquam proprium in Romanos Pontifices, qui, cum per semetipsos id agere non possint, faciunt per viros a se delectos, nempe per missionarios, Praefectos ac Vicarios Apostolicos. Quorum cum recolimus labores, aerumnas partaque trophea, fieri non potest quin animus vehementer commoveatur. Si enim, ut V. Fortunatus habet (*De Cruce Domini*),

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,
..... fertilitate potens,

itemque si, ut habet A. Prudentius (*Contra Simmacum*), Roma quoque

nec... spoliata prioris
robore virtutis senuit, nec saecula sensit,

ad id non mediocrem operam contulerunt Praesules missionum. Hi autem, non quidem suo, sed mandantis R. Pontificis nomine, a quo proinde et libere nominantur et *ad nutum* revocari possunt, munus exercent. Idque tum etiam contingit, cum quorumdam missionum regimen religioso

pro tempore Superiori ex inducta consuetudine defertur: non enim Superiori qua tali, sed personae in Superiorem electae, et ideo non ipso facto sed per posteriorem actum S. Congregationis de Prop. Fide, officium huiusmodi committitur (S. Congr. de Prop. Fide, 3 mart. 1766 et 22 aug. 1867). Cum igitur R. Pontificis nomine potestatem exerceant, Vicarii ac Praefecti Ap., nisi ius commune aliter caveat, veluti ex. c. quoad Concilium plenarium et provinciale (cfr. can. 282 § 1 et 286 § 1), nulli Metropolitae subsunt, nec Metropolita aut Primas quicquam potest in eorum territoriis (ead. S. Congr., 14 febr. 1702). Breviter, censentur Vicariatus ac Praefecturae Ap. dioecesis Romanae propagines; quare etiam, si forte missionarii proprio calendario careant, romano uti debent (ead. S. Congr., 16 sept. 1771), et praeterea, perinde ac in Urbe agere solemus, unius R. Pontificis mentio in canone Missae, a sacerdotibus in vicariatibus ac praefecturis ap. celebrantibus, facienda est (ead. S. Congr., 16 febr. 1867 et alibi passim). Haec est inter Episcopos residentiales ac eos, qui missionibus praeficiuntur, differentia. Quibus praelibatis, facile intelligitur quaenam sint territoria, quae erecta non sunt in dioeceses (1), de quibus canon loquitur.

2. *Vicarius et Praefectus Apostolicus*, etc. — Neuter in Consistorio unquam nominatur, uti saepe evenire solet de Episcopis, sed tantummodo nomen Vicarii Ap. in Consistorio publicatur. Totum autem negotium a R. Pontifice expeditur per S. Congr. de Prop. Fide; nempe per merum decretum huius Congregationis, si agatur de nominando Praefecto Ap.;

---

(1) Quomodo vero ad erectionem huiusmodi paullatim deveniatur, ita exponit Wenz-Vidal (*Ius canon.* II, n. 544): *Ita procedi solet in terris missionum seu in locis infidelium et haereticorum, in quibus aut nunquam adhuc introducta fuit ordinaria hierarchia ecclesiastica, vel illa primitus existens eversa fuit et nondum potuit denuo restaurari, ut:* 1°) *Ibi constituatur « missio » seu aliquot missionarii cum praefecto missionis, cui illi missionarii immediate subordinantur; quod generatim fit sine determinatione accurata limitum;* 2°) *Territorio illo missionis dilatato et concepta ex laboribus missionariorum bona spe conversionis infidelium vel haereticorum erigitur in territorio, iam accurate suis limitibus circumscripto, « Praefectura Apostolica », cui praeficitur Praefectus Apostolicus qui regulariter non solet esse insignitus charactere episcopali;* 3°) *Cum status rerum perfectior evaserit, tum multitudine conversorum tum praesertim missionariorum copia, Praefectura Apostolica convertitur in « Vicariatum Apostolicum », cui praeficitur Vicarius Apostolicus qui ut plurimum solet esse Episcopus titularis;* 4°) *Quod si Vicariatus Apostolicus adeo prosperum in statum devenit, ut ordinarium Ecclesiae regimen ibi constitui possit, tum demum inducitur hierarchia ecclesiastica, erigendo aliquam provinciam ecclesiasticam cum Metropolita et aliquot Episcopis suffraganeis.* Itaque, quamvis et praefectus missionis et Praefectus Apostolicus R. Pontificis vices gerant, non tamen decorantur Vicarii nomine: hoc namque, uti decet Ap. Sedis dignitatem, et eo tempori, quo creverit fidelium numerus, et ei personae, quae charactere episcopali insignita fuerit, reservatur.

per apostolicas litteras a Cancellaria Ap. confectas atque transmissas, si de Vicario Ap. agatur. Quarum litterarum decretorumve ostensione, perinde ac Episcopi in suis dioecesibus (cfr. can. 334, § 3), Vicarii ac Praefecti Apostolici suorum territoriorum canonicam possessionem capiunt. Et quemadmodum Episcopi residentiales, possessionem capere possunt aut per semetipsos aut per procuratorem.

CAN. 294.

§ 1. *Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus, nisi quid Ap. Sedes reservaverit.*

§ 2. *Etiam ii qui charactere episcopali carent, possunt, intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare, indulgentias quinquaginta dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre ad normam can.* 782, § 3, 957, § 2.

1. *Vicarii ac Praefecti Apostolici*, etc. — Canon definit quaenam sit, tum quoad ordines tum quoad ecclesiasticam iurisdictionem, potestas Vicariorum ac Praefectorum Apostolicorum. Et primum, quoad iurisdictionis potestatem, nullum inter eos discrimen : est enim principium generale iuridicum, utrumque hac in re omnia posse intra fines territorii sibi commissi, quae possunt in suis dioecesibus Episcopi residentiales, dum ne, ut planum est, Ap. Sedes quidquam reservaverit. Proinde, tum quae in can. 329-350, tum quae identidem per Codicem episcopali potestati attribuuntur, haec omnia sunt in potestate aut ordinaria aut a iure delegata Vicariorum ac Praefectorum Apostolicorum. Facultates vero *ab homine* delegatas, Praesules huiusmodi, iuxta variam regionum, quibus praeficiuntur, ab Urbe distantiam (cfr. Vermeersch, *Formulae facultatum*, etc. ephemer. *Jus pontificium*, 1923. fascic. IV. pag. 193), ampliores habent quam Episcopi residentiales.

2. *Etiam ii qui charactere episcopali*, etc. — Quoad potestatem ordinis, cum haec nonnisi in iis, qui ordine episcopali insigniti sunt, plene resideat, est inter Episcopos residentiales et missionum Praesules, imo etiam inter Vicarium et Praefectum Apostolicum, haud mediocre discrimen. Possunt tamen Praesules missionum, ordine episcopali carentes, omnia sacramentalia Episcopis reservata, ideoque et primam tonsuram et ordines minores, conficere aut administrare, una pontificali benedictione oleorumque consecratione exceptis ; ac praeterea confirmationis sacramentum conferre.

Can. 295.

§ 1. *Vicarii et Praefecti Apostolici ab omnibus missionariis, etiam religiosis, possunt ac debent exigere ut suas patentes seu alias quasvis eorum missionis, destinationis, constitutionis ac deputationis litteras exhibeant, easque exhibere recusantibus exercitium cuiusvis ministerii ecclesiastici prohibere.*

§ 2. *Omnes missionarii, etiam regulares, licentiam sacri ministerii exercendi petant a Vicariis et Praefectis Apostolicis, qui tamen eam ne denegent, nisi singulis et gravem ob causam.*

1. Missiones inter infideles atque acatholicos a religiosis plerumque geruntur ac saepe saepius inter religiosos Vicarii et Praefecti Apostolici eliguntur. Qua de causa facile oriri possunt controversiae, ad quas praeveniendas vel dirimendas Clemens Pp. IX, 13 sept. 1669, constit. *Speculatores* edidit ; postea vero Benedictus Pp. XIV, 30 maii 1753, ep. encycl. *Apostolicum ministerium.* Et ex hisce praesertim actis pontificiis, canon quo de hic agitur, cum tribus subsequentibus conflatus est. Horum canonum principium generale in hoc positum est, quod religiosus missionarius, et qua missionarius et qua religiosus considerari potest : qua religiosus, vi voti obedientiae, tum quoad ea quae eius personam tum quoad ea quae religionem respiciunt, potestati dominativae aut, si agatur de religione exempta, iurisdictioni quoque Superiorum religiosorum subiicitur ; qua missionarius vero, vi litterarum patentium, tum quoad ea quae sacrum ministerium tum quoad ea quae missionem ipsam eiusve incrementum respiciunt, subditur iure publico iurisdictioni eius, qui R. Pontificis vice ac nomine missionem regit, etiamsi hic vel ad aliam religionem vel fortasse ad clerum saecularem pertineat. Quia vero et in causa est auctoritas Ap. Sedis et publica utilitas, idest missionum incrementum, idque merito praefertur privatae religionum singulorumve religiosorum utilitati, inde est, quod si conflictus oriatur inter mandatum duarum potestatum, illa praevalere debet, salvo iure peculiari et recursu in devolutivo ad Ap. Sedem.

2. *Vicarii et Praefecti Apostolici* etc. — Itaque, uti supra vidimus, potestas in genere missionum Praesulibus competens, Episcoporum potestati aequiparatur. In specie vero est in Vicariis ac Praefectis Apostolicis ius et obligatio exigendi ab omnibus missionariis etiam religiosis (ideoque et regularibus), qui in territorium eisdem subiectum venerint sacri ministerii exercendi causa, patentes litteras, quibus legitima eorum missio sufficienter probetur. Litterae autem huiusmodi a S. Congr. de Prop. Fide conceduntur (cfr. instruct. eiusd. Congr., 30 sept. 1848, n. 1). Quas si non exhibuerint, possunt ac tenentur Praesules missionum eos a cuius-

vis ministerii ecclesiastici exercitio prohibere, in quo tamen non videtur comprehendi Missae celebratio, nisi praeterea constet, esse religiosum censura obligatum.

3. *Omnes missionarii, etiam regulares*, etc. — Contingere potest quandoque, mitti religiosos ad officium missionarii exercendum a propriis Superioribus, absque litteris patentibus S. Congr. de Prop. Fide. Tum vero missionarii huiusmodi, nedum tenentur sui Superioris destinationis litteras exhibere missionum Praesulibus, verum etiam ab hisce, quamvis eorum religio exempta sit, licentiam petere sacri ministerii exercendi. Scilicet, *quos Ordo vel religiosum Institutum missionibus destinare contigerit, eosdem proponit Vicario Ap. qui, si ad animarum curam exercendam idoneos invenerit, eos approbat, iisque iurisdictionem et necessarias facultates concedit* (S. Congr. de Prop. Fide, 1 sept. 1881). Haec tamen licentia a Vicario vel Praefecto Ap. nonnisi singulis (non ideo communitati universae) et gravi causa intercedente (cuius aestimatio ad missionis Praesulem pertinet) denegari potest.

CAN. 296.

§ 1. *Etiam missionarii regulares subiiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, Sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem misionis.*

§ 2. *Quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos, se in disciplinam religiosam ingerere quae a Superiore religioso dependet, si tamen circa ea, de quibus in superiore paragrapho, conflictus oriatur inter mandatum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum Superioris, prius praevalere debet, salvo iure recursus in devolutivo ad Sanctam Sedem et salvis peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.*

1. *Etiam missionarii regulares subiiciuntur*, etc. — Vicariatuum ac praefecturarum apostolicarum regimen, vice ac nomine R. Pontificis gerendum, ad Vicarios et Praefectos Ap. spectat; regimen religionum ad Superiores religiosos : inde defluunt quae hoc in canone statuuntur. Et in primis Legislator diligenter recenset, quaenam ad regimen vicariatus vel praefecturae ap. pertinere dicenda sint, nempe : 1) missionum regimen, quo regimine comprehenduntur generales normae, quae operositatem universam missionariorum, circumstantiarum habita ratione, moderantur ; 2) animarum cura, quae praecipue pertinet ad quasi-parochos eorumve vicarios (cfr. can. 471-478) ; 3) sacramentorum administratio, quae etiam ad missionarios non quasi-parochos aut parochorum vicarios spectare

potest ; 4) scholarum directio, quam patet sese elongare non posse a generalibus normis pro regimine illius territorii statutis ; 5) tandem implementum oblationum intuitu missionis, non religionis, factarum, piarumque voluntatum in favorem eiusdem missionis : quocirca primum ratio habeatur oportet voluntatis offerentium vel testatorum ; deinde, si haec non constet aut dubia sit, sacrorum canonum atque iuris particularis (cfr. Leo Pp. XIII, const. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, circa finem). Hisce in rebus missionarii religiosi omnes, sive exempti fuerint sive non exempti, sive curam animarum gerant sive minus, subiiciuntur, perinde ac si religiosi non essent, iurisdictioni, visitationi proindeque et correctioni Vicarii et Praefecti Ap., cui territorii regimen ab Ap. Sede commissum est.

2. *Quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis*, etc. — Vicissim non licet missionum Praesulibus in disciplinam sese religiosam ingerere, nisi in casibus a iure exceptis. Excipiuntur vero a iure casus subsequentes : cum agitur de eleemosyna Missarum manualium (can. 831 § 3); de admissione extraneorum ad Missam in sua ecclesia celebrandam (can. 804 § 3) ; de precibus recitandis, sacris sollemnibus peragendis, campanis pulsandis si id loci Ordinarius ob causam publicam iusserit (can. 612) ; de evangelio in omnibus Missis diebus festis explicando, si Ordinarius loci id decreverit (can. 1345) ; de conferentiis de re morali interveniendi obligatione (cfr. can. 131 § 3) ; de bonis ad pias causas pertinentibus intuitu dioecesis fiduciarie acceptis Ordinario notificandis (can. 1516 § 3); de ecclesia, sacrario, oratorio publico, sede confessionali (can. 512 § 2 n. 2) ; de praxibus superstitiosis aut a fide alienis aut turpis quaestus speciem praeseferentibus, in divinum cultum forte illapsis, auferendis (can. 1261 § 2) ; de religiosis extra domum illegitime degentibus aut delinquentibus (cfr. can. 616) ; de religionibus laicalibus (cfr. can. 618 § 2 n. 2) vel monialium monasteriis (cfr. can. 532-535) ; demum de parochis religiosis (can. 613 § 1). Hisce igitur in casibus, cum in causa sit publica utilitas, religiosi etiam exempti seu regulares, ex parte vel ex toto, pure vel conditionate subsunt iurisdictioni, ideoque et coërcitioni (can. 619), Ordinarii loci, ac proinde etiam Vicarii aut Praefecti Ap., qui possunt tum in religiosam sese disciplinam aliquatenus ingerere. Praeterea, ex iure communi (can. 497 § 1 et 3), nulla religiosa domus aut monialium monasterium erigi potest sine consensu Ordinarii loci.

3. *Si tamen circa ea*, etc. — Videtur, ante promulgationem Codicis, recepta fuisse regula, quod semper, in casu conflictus, vinceret mandatum Ordinarii loci (cfr. instr. S. Congr. de Prop. Fide, 1 sept. 1881, n. 4). Post Codicem vero id tum tantum contingit, cum agitur de iis, qua in paragrapho prima huius canonis taxative enumerata sunt, nempe de regimine missionum, cura animarum, Sacramentorum administratione, directione scholarum, oblationibus intuitu missionis factis ac piis

voluntatibus in favorem eiusdem missionis. Quod si denique delictum intercesserit, ob quod religiosus, etiam qua missionarius, aut puniendus sit aut revocandus, revocatio aut punitio et missionis Praesuli et Superiori religioso, ne alterius quidem consensu requisito vel causa probata aut allata, aequo iure reservatur (cfr. Benedicti Pp. XIV ep. encycl. *Apostolicum ministerium*, 30 maii 1753, et instr. S. Congr. de Prop. Fide, 18 ian. 1886 ad 2 et 3). Idque salvo iure particulari, quod sibi suffragari hinc inde legitime probari possit (cfr. etiam can. 307).

Can. 297.

Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt, audito eorum Superiore, cogere religiosos, etiam exemptos, vicariatui vel praefecturae addictos, ad animarum curam exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.

Duplex est munus missionariorum : primum, infideles ad fidem,acatholicos ad catholicam unitatem adducendi ; alterum, conversos pascendi per exercitium ordinariae curae animarum. Quocirca, cum a S. Congr. de Prop. Fide quaesitum fuisset, an deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, tenerentur religiosi missioni addicti, nempe qui ad missionariorum ministerium exercendum in missionis territorium admissi sunt, curam animarum *ex iustitia* exercere, S. Congregatio (30 sept. 1848, n. 3) affirmative respondit. Neque id mirum, nam religiosi huiusmodi, dum in hunc proprie finem ad terras missionum ut mittantur petunt oblatumve munus acceptant (cfr. eand. S. Congr., 22 mart. 1669 ad 7), simul sponte obligationem contrahunt, quae ex iustitia eos tenet. Et inde ea defluunt, quae in canone statuuntur: quod nempe Vicarii et Praefecti Ap. horum religiosorum Superiores audire tantummodo tenentur ; quod proinde suo iure uti possunt et ipsis invitis ; quod denique missionarios reluctantes ad curam animarum suscipiendam poenis quoque ecclesiasticis, salvo iure particulari contrario evidenter probandum, cogere possunt.

Can. 298.

Si qua dissidia in iis quae ad curam animarum pertinent, sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet oriri contigerit, ea quamprimum componere curent Vicarii ac Praefecti Apostolici, qui huiusmodi quaestiones, ubi opus fuerit, dirimant, integro tamen iure recursus ad Apostolicam Sedem, qui decreti effectum non suspendit.

Canon continet, saltem quoad religiones exemptas, delegationem missionum Praesulibus a iure factam, quae ceterum recta descendit ex

iis quae in can. 296 statuuntur de cura animarum. Dissidia vero huiusmodi, quae diversissima esse possunt, debent Praesules missionum primum ac statim curare, ut amice componantur; quod si suasio inutilis videatur, ex auctoritate decreto dirimere; idque etiam quamprimum, ne temporis decursu asperiora ac difficiliora fieri contingat.

CAN. 299.

Vicarii Apostolici obligatione tenentur Sacra Limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi eadem prorsus lege, qua Episcopi residentiales ad normam can. 341 ; *cui tamen muneri, si quid graviter obstet ne per se ipsi illud expleant, satisfacere possunt per procuratorem etiam in Urbe degentem.*

1. *Vicarii Apostolici obligatione*, etc. — *Iure optimo et Spiritus Sancti instinctu*, ait Sixtus Pp. V (const. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585 § 1), *a sanctissimis Pontificibus praedecessoribus nostris iam ab antiquissimis temporibus institutum est.... ut singuli Episcopi... certis praescriptis temporibus, per seipsos vel per certum eorum Nuncium... Apostolorum Petri et Pauli... limina.... iureiurando se visitaturos pollicerentur.* Ea vero de causa id constat fuisse introductum, ut R. Pontifex *assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto Ecclesiarum singularum statu certior redderetur* atque ita posset, *omnibus cognitis et examinatis*, recte uti suprema sua potestate in Ecclesia universa regenda (ibid. prooem). Cum igitur antiqua praxis non mediocriter neglecta tum esset, a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis totius orbis, quamvis cardinalitia dignitate ornatis, confestim, certis statutis temporibus gravibusque poenis, instaurandam praecipit aut personaliter aut, si legitimum impedimentum extiterit ab Ap. Sede probandum, per procuratorem speciale mandatum habentem (ibid. § 3, 4, 5 et 8). Huic vero constitutioni postea Benedictus Pp. XIV, per const. *Quod sancta* (23 nov. 1740), haec addidit : *Cum autem Abbatum, Priorum aliorumque, qui spirituali iurisdictione quasi-episcopali.... potiuntur, nulla mentio in praefatis litteris Sixti facta fuerit, ... nos, cupientes omnium Ecclesiarum utilitati.... consulere, ... mandamus ut omnes et quicumque Abbates, Priores, Praepositi aliique quocumque nomine ac titulo nuncupati... saeculares et quorumvis Ordinum regulares, ad monasteriorum seu Ecclesiarum particulare et separatum territorium habentium regimina iam promoti et in posterum.... promovendi.... qui videlicet spiritualem iurisdictionem quasi-episcopalem... quocumque iure et titulo.... exercent,... iurent... se sacras beatorum Apostolorum Petri et Pauli memorias... visitaturos ac insuper nobis et successoribus nostris... rationem reddituros de commissa sibi monasteriorum et Ecclesiarum procuratione* (ibid. § 3, 4, et 5). Quamvis igitur Praesules missionum ad visitationem sacrorum Liminum

minime teneantur in vim constitutionis Sixti V.... bene vero tenentur ratione officii (S. Congr. de Prop. Fide, litt. encycl. 1° iun. 1877), nempe quasi-episcopalis, in vim constitutionis Benedicti Pp. XIV. *Sed quoniam*, ait S. Congregatio (ibid.), *alia prorsus est conditio Ecclesiarum rite constitutarum, alia missionum, quae ob difficultates et angustias, inter quas haud raro versantur, proprii Pastoris solatio maxime indigent, plerumque haud expedit, ob sacrorum liminum visitationem, Vicarios Apostolicos ab eorum residentia discedere.* Et *a fortiori*, id nequaquam expedit quoad Praefectos Ap., cum etiam deterior sit missionum eorum curae concreditarum conditio: et haec causa esse videtur, quare sacrorum Liminum visitandorum nonnisi Vicarii Ap. obligatione tenentur.

2. *Eadem prorsus lege, qua Episcopi*, etc. — Scilicet Vicarii Ap., ad normam can. 341, si intra Europae fines iurisdictionem exerceant (veluti Vicarius Ap. Norvegiae et insularum Spitzberg, Daniae, Germaniae septentr., Finlandiae, Sophiae et Philippopolis in Bulgaria (cfr. *Missiones cath.* cura S. Congr. de Prop. Fide), visitationem peragere tenentur eo anno quo exhibenda est eis relatio, de qua in can. sequenti; si vero extra fines Europae, decimo quoque anno. Cui muneri explendo si quid graviter obstet, nempe ob rationes, quas supra exposuimus, satisfacere possunt per procuratorem, etiam in Urbe degentem. Procurator autem, qui sacerdos esse debet (S. Congr. de Prop. Fide, 1 iun. 1877) saecularis aut religiosus, a S. Congr. de Prop. Fide designandus est, Vicariis Ap. proponentibus (ibid., 23 mart. 1844) ac se impeditos esse probantibus. Estque onus visitationis huiusmodi omnino personale: quare, exceptis Vicariis, neminem obligatione tenet.

CAN. 300.

§ 1. *Ad normam can.* 340, *Vicarii ac Praefecti Apostolici tenentur obligatione Sedi Apostolicae exhibendi plenam accuratamque relationem de suo quisque pastorali officio, deque omnibus quaecumque ad statum vicariatus vel praefecturae, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam, ad fidelium denique ipsorum curae commissorum salutem quavis ratione pertineant; quae relatio scripta esse debet et subscripta tum ab ipso Vicario aut Praefecto tum ab uno saltem ex consiliariis de quibus in can.* 302.

§ 2. *Imo etiam sub cuiusque anni exitum ad Sanctam Sedem mittant elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum annuaeque Sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus.*

1. *Exhibendi plenam accuratamque relationem*, etc. — Iam ab a. 1626 S. Congr. de Prop. Fide, nuper erecta, ut relationem quotannis Ap. Sedi

exhiberent mandavit Praesulibus missionum, quae P.P. Minoribus Capuccinis concreditae erant. Postea vero eadem S. Congregatio, 17 iun. 1747 itemque 31 oct. 1838, praxim annuae relationis denuo inculcat ea de causa, quod oporteat S. Congregatio *statum exterarum missionum apprime cognoscat, obvenientibusque necessitatibus mature ac prudenter occurrere vel providere possit.* Denique, 1 iun. 1877, ead. S. Congregatio iterum pro sua diligentia tum Vicarios tum Praefectos Ap. monitos voluit, *ut, habita ratione temporis a Sixto V pro Episcopis statuti, vel frequentius velut mos iam alicubi invaluit, accuratas relationes.... transmittant.* Quae quidem relationes ut rite conficerentur, S. Congregatio decreto adiecit seriem quaestionum, quibus Praesules missionum in relatione exaranda responderent. Iuxta Codicem nostrum duplex est S. Congregationi de Prop. Fide relatio exhibenda : altera prolixior, ad normam can. 340, idest quinto quoque anno, sive visitationem sacrorum Liminum Vicarii Apostolici tum peragant sive minus (cfr. can. 341 § 2). Et haec relatio, exacta iuxta formulam ab Ap. Sede statuta, subscripta esse debet etiam ab uno saltem ex consiliariis, qui, ad normam can. 302, veluti senatum vicariatuum ac praefecturarum ap., Capituli cathedralis loco, constituunt.

2. *Imo etiam sub cuiusque anni exitum*, etc. — Altera relatio brevior, quotannis transmittenda, non est nisi elenchus conversorum, baptizatorum etc., eaque de causa exhiberi debet, ut Ap. Sedes iugiter certior fiat de missionum incremento.

Can. 301.

§ 1. *In regione sibi commissa commorentur, a qua sine gravi et urgenti causa per notabile tempus iis abesse ne liceat, inconsulta Sede Apostolica.*

§ 2. *Regionem sibi concreditam, quandocumque sit opus, debent ipsi per se vel, si legitime impediti fuerint, per alium visitare eaque omnia in visitatione expendere, quae ad fidem, bonos mores, Sacramentorum administrationem, praedicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, iuventutis institutionem, disciplinam ecclesiasticam referuntur.*

1. *In regione sibi commissa commorentur*, etc. — Canon agit de obligatione, qua Praesules missionum tenentur, quoad residentiam atque canonicam visitationem territorii sibi commissi. Et primum, ad residentiam strictiore obligatione tenentur Praesules missionum. *Si ubique locorum*, ait S. Congr. de Prop. Fide (litt. encycl. 24 apr. 1861), *pastores animarum, pro officii sui ratione, continenter in medio gregis vivere oportet, ad id potiori etiam titulo illi tenentur, quibus animarum cura demandata est in locis missionum. Cum enim fideles in missionibus graviora passim subire cogantur pericula, dum minora ut plurimum iis praesto sunt adiumenta virtutum,*

peculiari ac praesentissima indigent vigilantia atque ope pastorum. Haud igitur mirum, si sacro Consilio Christiano nomini propagando nil fuerit antiquius, quam, datis etiam decretis, curare, ut a se dependentes Episcopi Vicariique Apostolici in suis missionibus, quoad fieri posset, absque ulla interruptione residerent. Quam quidem in rem eo usque pervenit Sancta Sedes, ut laudatis Praesulibus sub gravissimis poenis prohibuerit (7 maii 1966), *ne pontificalia munia in aliena dioecesi* (idque toto orbe) *vel districtu, etiam de consensu Ordinarii, ullo modo peragerent.* Quare, ne verbum quidem in Codice, de Praesulum huiusmodi vacationibus, quae, ex adverso, permittuntur aequa de causa per tres menses quotannis Episcopis residentialibus (can. 338 § 2). Contra, missionum Praesules, a regione sibi commissa, inconsulta Ap. Sede, idest sine eius licentia, abesse non possunt. Casus duo a Legislatore excipiuntur : 1°) si agatur de absentia per notabile tempus non protrahenda ; 2°) si absentia, protrahenda per notabile tempus, locum habeat ex causa gravi, nempe quam praetermittere non liceat, et urgenti, quae nempe quominus Ap. Sedes consulatur impediat. De causae gravitate iudicare Praesulum ipsorum conscientiae est. Videtur autem spatium sex mensium hac in re tempus esse notabile : nam in can. 338 de residentia Episcoporum, huic parallelo, ille decernitur esse Ap. Sedi denuntiandus, qui *ultra sex menses e dioecesi illegitime abfuerit* (ibid § 4) ; iamvero, nec videtur Legislator absentiam per notabile tempus negligere potuisse, nec ob absentiam per tempus non notabile denunciationem Ap. Sedi imposuisse. Patet autem, posse Praesules missionum, intra fines sui territorii, ubicumque placuerit sedem sibi constituere (S. Congr. de Prop. Fide, 20 iun. 1703) ; expedire autem, ut ibi sedem sibi constituant, quo accedere missionarii facilius possint (ead. S. Congr. 19 iam 1644).

2. *Regionem sibi concreditam* etc.. — Altera haec canonis pars respicit onus canonicae visitationis. Et hic quoque animadverte differentiam inter obligationem Episcoporum ac Praesulum missionum : illi namque tenentur dioecesim universam sive per se sive, cum legitime impediti fuerint, per alium lustrare singulis quinquenniis (can. 343 § 1) ; contra, hi *quandocumque sit opus*: non enim in terris missionum, ob necessitates quae subito oriri queunt, certum tempus definiri oportebat. Possunt igitur Vicarii et Praefecti Ap. cunctas ecclesias, oratoria, pia loca tum canonice visitare atque ea decernere, quae necessaria aut opportuna visa fuerint ad missionis incrementum, exceptis tamen ecclesiis religionum, praesertim exemptarum, cum in religiosos non aliam iure communi potestatem habeant, quam quae ipsis delata est per can. 295-298 (cfr. S. Congr. de Prop. Fide, 13 aug. 1669 ad 3).

Can. 302.

Constituant consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis.

Sicuti Episcopis residentialibus iure communi Capitulum cathedrale (can. 391 § 1) aut Consultores dioecesani (can. 427) tanquam corpus consultivum conceduntur, ita per hunc canonem Consilium missionum Praesulibus. Ex tribus saltem missionariis constare debet, quia tres saltem personae physicae requiruntur ad efficiendum collegium. Non tamen requiritur ut Consilium huiusmodi collegialiter agat, nam sufficit, si consiliarii sententiam ferant *saltem per epistolam*. Quando autem collegialiter convocari non potest, videtur ex can. 105 n. 1 non posse Praesul valide agere, nisi omnium singillatim, directe vel indirecte, sententiam exquisierit, cui tamen accedere non tenetur. Negotia vero graviora, de quibus canon, sunt quae respiciunt ecclesiarum, domorum, collegiorum, scholarum erectionem ac praesertim administrationem bonorum (S. Congr. de Prop. Fide, 8 sept. 1869), quocirca *saepe quaestiones, suspiciones et invidiae oriuntur, quae religionis bono et ecclesiastici ministerii honori maxime obsunt* (ead. S. Congr., Instr. 18 oct. 1893).

Can. 303.

Prout siverit opportunitas, missionarios saltem praecipuos tum religiosos tum saeculares propri territorii congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint ordinanda perfectius.

Patet, missionariorum annuos conventus, de quibus in canone, habendos non esse Synodi dioecesanae loco, da qua expresse in can. subsequenti. Censendum igitur est, Praesules missionum, praeterquam minore Consilio, quod paucis constat (can. 302), debere quoque, uti Consilio maiore, quod, prout opportunitas siverit, constat missionariis praecipuis. Hi et de statu singularum missionum referre tenentur, et pro cuiusque experientia consilium praebere circa ea, quae ad missionum incrementum opportuniora videantur.

Quoad vero Consilia huiusmodi constituenda, S. Congr. de Prop. Fide (litt. encycl. 28 aug. 1893) haec decrevit : *Dum de hisce Consiliis constituendis Patres in Synodis leges ferent, simul accurate definient tum consultorum qui debeat esse numerus, tum eorundem in munere perdurandi tempus ;*

atque insuper decernant quaenam argumenta eorundem consultorum examini erunt subiicienda, quaeque ab ipsis vel explicitum consensum vel simplex consilium obtinere debebunt.

CAN. 304.

§ 1. *Legibus quae de archivo constituendo Episcopis praescribuntur, etiam Vicarii ac Praefecti Apostolici, habita locorum personarumque ratione, aeque tenentur.*

§ 2. *Pariter quae de Conciliis plenariis et provincialibus can.* 281-291 *praescribuntur, applicari debent, congrua congruis referendo, Conciliis plenariis vel regionalibus et provincialibus in regionibus Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis ; quae de Synodo dioecesana can.* 356-362, *Synodo vicariatus apostolici ; sed nullum est praefinitum tempus pro Concilii provincialis et Synodi celebratione, et canones Conciliorum, antequam promulgentur, recognosci debent a Sacra Congregatione de Prop. Fide.*

1. *Legibus quae de archivo*, etc. — Ad normam can. 375-384, tenentur Episcopi ad archivum seu tabularium erigendum ac recte administrandum. Idque etiam a missionum Praesulibus praestandum est, locorum personarumque ratione habita, videlicet quantum sinant locorum ac personarum circumstantiae.

2. *Pariter quae de Conciliis* etc. — Et prius de Conciliis plenariis et provincialibus videamus. Iam vero, ad normam can. 281 et 283, Concilium quidem plenarium celebrandum est Episcopis plurium provinciarum ecclesiasticarum, cum opportunum visum fuerit, petita venia a R. Pontifice ; Concilium vero provinciale vigesimo quoque anno. Contra, pro terris missionum nullum tempus iure communi praefinitum est. Sed insuper alia atque alia ratione celebrari oportet : prudens namque Legislator in canone loquitur *de regionibus S. Congregationi de Prop. Fide subiectis.* Scilicet duo sunt genera regionum, quae huic S. Congregationi subiiciuntur : aliae in dioeceses aut archidioeceses recenter constitutae sunt (1), aliae nondum sunt constitutae ; priores iure ordinario provinciarum ecclesiasticarum, quoad Concilia particularia, reguntur, cum hac unica exceptione, quod si provincia universa subiecta sit Congregationi de Prop. Fide, certum tempus Conciliiis provincialibus non est iure communi praefinitum ; posteriores vero, nisi forte pertineant ad provinciam dependen-

---

(1) Iuxta *Missiones catholicae*, qui est catalogus cura S. Congregationis de Prop. Fide editus (pag. IX-XXI), a. 1922 a S. Congr. dependebant archidioeceses 29, dioeceses 60, Abbatiae *nullius* 8, vicariatus ap. 194, praefecturae ap. 63.

tem a Congr. Consistoriali (cfr. can. 282 § 1, 285 et 286 § 1), cum ad nullam provinciam pertineant (omnes namque tum vicariatus tum praefecturae ap. sunt inter se aequales), nullum Concilium provinciale celebrare possunt, sed utique Concilium plenarium, quod convocare cuique praesidere ius et officium est Delegati Ap. (1), scilicet R. Pontificis, qui unus potestate propria hisce regionibus praeest, nomine ac vice.

3. *Quae de Synodo dioecesana* etc. — Veniamus itaque ad Synodum dioecesanam. Hanc celebrandi, nedum Episcopis a S. Congr. de Prop. Fide dependentibus, sed etiam cuique Vicario Ap. (non autem Praefectis Ap.) facultas fit iure communi, quin tamen, sicuti Episcopi residentiales a S. Congr. Consistoriali dependentes, decimo quoque anno (can. 356) eam cogere teneantur. Est autem, si agatur de Vicariatibus Ap., qui et proprie dicto Vicario generali et Capitulo cathedrali et Vicariis foraneis (cfr. can. 358) carent, Synodus celebranda, *congrua congruis referendo.*

Can. 305.

Studiosissime curent, onerata graviter eorum conscientia, ut ex christianis indigenis seu incolis suae regionis probati clerici rite instituantur ac sacerdotio initientur.

Canon per se clarus continet praeceptum grave, quod omnes Vicarios ac Praefectos Ap. obligatione tenet. Quocirca S. Congr. de Prop. Fide (23 nov. 1845): *Porro autem Romanos Pontifices pro supremi officii sui sanctitate in id aeque omni ope atque opera incubuisse, ut, qui in diversas terrae partes abibant earumque Ecclesiis praeficiebantur Episcopi, ii indigenae cleri institutionem vehementissime urgerent, res est, ut cuique perspecta, ita multiplici documentorum genere confirmata. Huc revera spectant omnigena subsidia in Episcopos remotissimarum etiam regionum pluries collata ad Seminaria erigenda, ubi pueri indigenae, sacris deinceps initiandi, ad pietatem et scientiam informarentur. Huc permulta nationalia collegia eundem in finem sive Romae, sive alibi ingenti sumptu ac labore instituta et vel a fundamentis extructa. Huc peculiares facultates Episcopis et Vicariis Apostolicis extra ordinem tributae; quo scilicet aliquibus praesertim in locis facilior esset indigenarum hominum ad presbyterii honorem et gradum ascensus. Huc demum innumerae fere Romanorum Pontificum epi-*

---

(1) Ita ex. c. Delegato Ap. Sinarum, per litteras ap. 20 ian. 1924 (cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1924 pag. 93), commissum est *ut Vicarios omnes et Praefectos Apostolicos, qui sacras missiones in Sinis moderantur, in urbem quae « Shangai » nuncupatur, legitime convocaret et conventui R. Pontificis nomine praesideret.*

stolae et constitutiones, itemque tot ac tanta ipsorum auctoritate per sacram hanc Congregationem edita documenta et decreta, perspicuum procul dubio testimonium apostolicae de ista re sollicitudinis in aevum extitura. Ceterum nihil animadvertendum, nisi fortasse hoc unum, quod... tam conclamatae naturalis hominum aequalitatis apud unam Ecclesiam cultus de facto vigeat.

Can. 306.

Missae sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sancti Joseph eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, servato praescripto can. 339, §§ 2 *seqq.*

1. *Missae sacrificium pro populis* etc. — Inter officia pastoralia illud merito eminet, quod in oblatione sacrosancti Missae sacrificii pro populo peragenda consistit. Quod quidem officium, ut Patres Tridentini docuere, ex iure divino proficiscitur. Cum autem Benedictus Pp. XIV, per ep. encycl. *Cum semper oblatas* (19 aug. 1744), expresse declaraverit lege Missae *pro populo* applicandae parochos omnes teneri, sed de Episcopis nihil expresse significaverit, ut opinionum ac consuetudinum varietati inde exurgenti finem faceret, Leo Pp. XIII, per const. *In suprema* (10 iun. 1882) legem authentice interpretatus est, aiens eadem omnino ratione et Episcopos residentiales teneri. At Vicarii ac Praefecti Ap. inter Episcopos residentiales profecto recensendi non sunt: unus namque est, ut saepe diximus, Pastor qui regiones missionum auctoritate et nomine proprio regit, nempe R. Pontifex ; ceterorum vero nemo, nec missionum Praesules nec quasi -parochi, officium habent in titulum, sed tantum in administrationem. Hinc S. Congr. de Prop. Fide interpellata, 18 aug. 1866 explicite respondit, neque Vicarios Ap. neque missionarios, nisi ageretur de dioecesibus ac paroeciis canonice erectis, ad Missam *pro populo* applicandam ex iustitia teneri. Contra canon, de quo loquimur, ait : *Missae sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent* (nempe Vicarii ac Praefecti Ap.) *saltem* etc.; imo expresse reservat praescriptum can. 239 § 2 et seq., quo cavetur ut Episcopus, nisi per se aut statuto die Missam *pro populo* applicare possit, per alium aut alio die applicet ; quod si postea compererit neque hoc modo sese oneri satisfecisse, satisfaciat quam citius *tot Missas applicando quot omisit.* Quid igitur ?

2. In primis nullum dubium quin missionum Praesules, undecim sollemnioribus diebus festis in canone taxative enumeratis, obligatione teneantur Missam *pro populo* suae curae concredito applicandi. Cum vero

obligatio huiusmodi, ut antea diximus, ex iustitia oriri non possit, nam nulla per Codicem facta est immutatio in horum Praesulum iuridica conditione, restat ut materia novae legis ad caritatem pertineat aut minus : etenim, *humani legislatores*, ut D'Annibale ait (*Summula* I, n. 200), *ea omnia comprehendere possunt suis legibus, quae non sunt contraria iuri naturali absoluto aut iuri divino* (nempe positivo). Quia autem S. Congr. de Prop. Fide in respons. antea allata (18 aug. 1866) hanc doctrinam recepit, *vitandam esse locutionem « teneri ex charitate », dicendum vero esse « decere ex caritate », idque ita, ut nulla proprie dicta obligationis significatio appareat*, magis verum puto hanc legem in caritate quidem generatim accepta quodammodo fundari, sed nequaquam vi praecepti caritatis tenere. Quare Vicarii ac Praefecti Ap., qui statutas Missas applicare neglexerint, videntur utique posse puniri, sed non plus quam sinat legis mere ecclesiasticae, neque gravis, transgressio. Quod si Legislator praescriptum quoque can. 339 servandum esse iussit, ideo id fecisse videtur, ut, obligatione semel statuta, eius implementum redderet facilius, non autem ut magis ac magis urgeret.

Can. 307.

§ 1. *Ipsis non licet, inconsulta Sede Apostolica, concedere missionariis ab ea missis, veniam in perpetuum deserendi vicariatum aut praefecturam, vel alio transeundi, nec eos quoquo modo expellere.*

§ 2. *In casu autem publici scandali possunt ipsi, audito suo Consilio, et si agatur de religiosis, praemonito, quantum fieri potest, Superiore, missionarium statim removere, facta tamen illico certiore Apostolica Sede.*

1. Modo Legislator venit ad missionariorum translationem. Haec perpetua aut temporaria esse potest, itemque aut voluntaria aut coacta ; rursus vero translatio, aut intra territorii fines perficitur aut extra, et si extra, aut agitur de territorio missionis relinquendo pure et simpliciter aut de in alium territorium transeundo. Tandem aut de missionario saeculari agitur, aut de religioso; aut de a S. Congr. de Prop. Fide misso, aut de aliunde in territorium missionis adveniente. Canon omnes hosce casus complectitur, atque cavet quemadmodum tum sese gerere debeat Praesul missionis. Primum igitur videamus quidnam hac in re agere nequeat, ut inde, ob contrariam rationem, constet quidnam agere possit.

2. *Ipsis non licet, etc.* — Itaque si agatur de missionariis a S. Congr. de Prop. Fide missis, non possunt missionum Praesules discessionem voluntariam et perpetuam permittere aut coactam praecipere e territorio sibi commisso. Ad rem ead. S. Congregatio (16 mart. 1668) : *S. Congregatio providere cupiens damnis spiritualibus, quae ex missionariorum remotione*

a locis missionum catholicae fidei graviter inferuntur, cum, eadem S. Congregatione inconsulta, ab eisdem missionibus per Praefectos et Superiores removeantur vel ipsimet missionarii ad proprias provincias vel conventus redeant cum maximo catholicorum praeiudicio qui operariorum auxilio hac de causa saepius privati remanent : districte praecepit Praefectis... ut, absque licentia S. Congregationis, missionarios eorum praefecturis subiectos nulla causa removeant vel dimittant... Si vero Praefectis aliquis remotione dignus visus fuerit, teneantur prius consulere S. Congregationem de causa ob quam removendus erit responsumque expectare antequam missionarium removeant, aut a missione suspendant vel dimittant. Imo redeundi, nempe ad sua, licentia ne tum quidem concedi potest, cum expletum est tempus in facultatibus missionariorum statutum (ead. S. Congr. 2 mart. 1665). Praeterea, *cum innotuerit, aliquos missionarios, vel arbitratu suo vel facta pridem potestate, in patriam velle reverti ; alios autem ex una ad aliam missionem pro suo ingenio transire... decernitur, ne ulli missionariorum liceat assignatas sibi missiones quovis obtentu deserere, donec aliter provisum fuerit* (videlicet, donec alii missionarii vicariatui aut praefecturae fuerint addicti), *suspensa interim remanente omni praehabita remeandi venia.* Ob eamque causam simul missionum Praesulibus *mandatur, ne aliquem alienarum missionum absque novis patentibus litteris S. Congregationis suscipiant* (ead. S. Congr., 28 sept. 1812). Tandem mens est S. Congregationis, ut translatio *ex uno in alterum vicariatum* (seu etiam praefecturam) *raro admodum* fiat (ead. S. Congr., 8 sept. 1869).

3. Hinc facile eruitur quidnam hac in re agere liceat missionum Praesulibus. Et ante omnia constat, posse eos libere omnino quoquomodo transferre aut removere missionarios, qui ab Ap. Sede missi non fuerint, eorum, si de religiosis agatur, Superiore praemonito. Praeterea vero, cum omnes missionarii *ad nutum* amovibiles sint, posse, intra fines sui territorii, quamlibet translationem perficere ; insuper licentiam e territorio discedendi ad tempus concedere, vel etiam ab eodem coacte ad tempus removere, praemonito Superiore, si agatur de missionario religioso.

4. *In casu autem publici scandali*, etc. — Scilicet contingere potest ut, publica utilitate id exigente, oporteat missionarium, ab Ap. Sede missum, e territorio in perpetuum expellere sine mora, ita ut tempus deficiat Ap. Sedem consulendi. Tum vero, iure communi, facultas fit missionum Praesulibus, noxium missionarium illico expellendi, Superiore, cum et quantum circumstantiae permiserint, praemonito, si missionarius sit religiosus ; idque eo tamen pacto, ut simul Ap. Sedes de peracta expulsione certior fiat.

Can. 308.

Vicariis et Praefectis charactere episcopali auctis, privilegia honorifica competunt, quae ius concedit Episcopis titularibus: si autem charactere episcopali careant, habent tantum, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium.

1. *Vicariis et Praefectis*, etc. — Definita horum Praelatorum potestate, Legislator agit de eorum praerogativis seu privilegiis honorificis, quibus ecclesiastica potestas insigniri solet. Itaque, si missionis Praesul est charactere episcopali auctus, ius habet ad ea honorifica privilegia, quae Episcopis titularibus conceduntur. Scilicet, canon non agit de facultatibus peculiaribus, quae ex iure communi missionum Praesulibus competunt ratione muneris: sunt namque facultates huiusmodi independentes a charactere episcopali et in can. 294, § 2, uti supra vidimus, recensentur. Quocirca unum est animadvertendum, quod nempe, si Praesul est episcopali charactere insignitus, gaudet insuper facultatibus de quibus in can. 349, § 1. Non igitur de facultatibus canon agit, sed de iuribus peculiaribus seu de privilegiis honorificis, quae, sive in sacris functionibus peragendis sive extra, pertinent ad Praesules missionum, quaeque in insigniis, praecedentia aliisque honoris significationibus consistunt. Episcoporum autem titularium, cum dioecesis, quam habent in titulum, ne canonicam quidem possessionem capiant, eadem ubique terrarum est iuridica conditio. Nimis sane prolixum esset Episcoporum titularium privilegia honorifica singillatim hic recensere: itaque animadvertere sufficiat, quoniam in nullum territorium iurisdictionem exercent, neque posse eos ullo in loco aut insigniis pontificalibus uti (cfr. can. 337, § 2) aut aliis honorificis privilegiis sine Ordinarii localis consensu, imo excipitur usus cappae magnae, quem, utpote Episcopis residentialibus intra sui territorii fines reservatae (cfr. *Pontif. rom.*, lib. I, c. III, n. 10), nullus Ordinarius R. Pontifice inferior concedere potest. Quid autem, quod Vicarii ac Praefecti Ap. territorio praesunt? Ita sane, sed territorio non suo atque R. Pontificis vice ac nomine. Est igitur videndum, quidnam hac in re R. Pontifex concesserit missionum Praesulibus charactere episcopali insignitis ac territorium sibi directe subiectum administrantibus. Constat autem Ap. Sedem usum pontificalium iisdem concessisse, throno tamen, cappa magna atque iure, ut eorum nomina in canone Missae referantur, exceptis: ait namque S. Congr. de Prop. Fide (16 febr. 1867): *Vicarii Apostolici, cum non sint Episcopi titulares vicariatus quem regunt, stricto iure nequeunt iis omnibus uti honoribus... quibus frui datum est Episcopis in*

suo territorio ; unde nec thronum in ecclesia habere, neque cappam magnam deferre valent, nec etiam iis ius est ut eorum nomina in canone Missae memorentur. Ratio vero, ob quam cappae usus prohibetur, supra innuimus; quare interdicatur mentio in canone, vide in comment. ad can. 293, n. 1 ; demum usus throni ideo prohibetur, quia Ordinarius localis non debet thronum suum cedere sibi subditis ; unde Episcopus residentialis potest quidem thronum cedere alteri Episcopo, ea tamen conditione ut hic non sit Episcopi cedentis Coadiutor aut Auxiliaris aut Vicarius generalis aut Dignitas vel Canonicus in ecclesia sibi subiecta (S. Rituum Congr., 12 iun. 1899). Idque decet *a fortiori* cum, uti in regionibus missionum, Ordinarius localis, proprie loquendo, est R. Pontifex.

2. *Si autem charactere episcopali careant*, etc. — Si missionum Praesules careant charactere episcopali, praeterquam facultatibus de quibus in can. 294, § 2, gaudent insigniis ac privilegiis Protonotariorum Ap. de numero participantium. Haec insignia et privilegia in constit. Pii Pp. IX *Quamvis peculiaris* (2 febr. 1853) diligenter recensentur : aliquatenus tamen imminuta fuerunt per Pii Pp. X motu-propr. *Inter multiplices* (21 febr. 1905, n. 2-12). Sed haec privilegia non sunt missionum Praesulibus, episcopali charactere destitutis, personalia, verum naturam habent privilegii realis-localis, idest cum officio ac territorio connexi : scilicet, Praesules huiusmodi iis gaudent tantummodo *durante munere et in proprio territorio*. Quare cum officio incipiunt et cum officio evanescunt ; perdurante autem officio, item evanescunt extra territorium Praesulis administrationi commissum. Excipiendus videtur habitus praelatorum proprius (vulgo *piano* appellatus), quem, durante munere, etiam extra territorium de quo supra, saltem ex consuetudine, eos deferre posse putamus.

Can. 309.

§ 1. *Vicarii et Praefecti, ubi primum in territorium suum advenerint, deputent ex uno vel altero clero Pro-vicarium vel Pro-praefectum idoneum, nisi Coadiutor cum futura successione a Sancta Sede datus fuerit.*

§ 2. *Pro-vicarius et Pro-praefectus nullam habet, vivente Vicario aut Praefecto, potestatem, nisi quae fuerit ab eodem sibi commissa ; sed deficiente Vicario aut Praefecto, vel eorum iurisdictione impedita, ad normam can.* 429, § 1, *totum debet regimen assumere et in hoc munere permanere, donec a S. Sede aliter fuerit provisum.*

§ 3. *Pari modo Pro-vicarius aut Pro-praefectus, qui titulari successerit, statim deputet ecclesiasticum virum, qui sibi, ut supra, in munere succedat.*

§ 4. *Si forte contingat ut nemo sive a titulari sive a pro-titulari uti administrator fuerit designatus, tunc senior in vicariatu vel praefectura,*

is nempe qui sit praesens in territorio et suas destinationis litteras in eodem prius exhibuerit, censetur delegatus a Sancta Sede ut regimen assumat, et inter plures aeque seniores antiquior sacerdotio.

1. *Vicarii et Praefecti, ubi primum* etc. — Vicarii et Praefecti ius solvi potest, sicuti quaelibet ecclesiastica iurisdictio, morte, remotione, translatione, renunciatione ab Ap. Sede acceptata itemque censura ab eadem (cfr. can. 2227, § 1) inflicta aut declarata (can. 2264); potest autem suspendi per Praesulis captivitatem, relegationem, exilium aut omnimodam inhabilitatem. Si igitur ius solvatur aut suspendatur per factum Ap. Sedis, eiusdem simul erit missionis necessitatibus prospicere; contra, si per factum ab Ap. Sedis ac Praesulis voluntate alienum, idest per mortem, captivitatem etc., ius ipsum commune prospicit hoc et subsequentibus canonibus. Nimirum, quilibet Vicarius aut Praefectus Ap., statim atque territorii sibi commissi canonicam possessionem ceperint, deputare debent Pro-vicarium vel Pro-praefectum, qui, ipsis uti supra dictum est deficientibus, in territorio administrando iure ipso succedat (1). Praxis huiusmodi primum introducta est a Benedicto Pp. XIV per litt. ap. *Ex sublimi*, 26 ian. 1755, § 1 et 2. Excipitur casus, quo ab Ap. Sede datus fuerit Coadiutor cum futura successione: tum namque deputandi necessitas eliditur; imo videtur per dationem Coadiutoris irritari facto ipso deputatio antea fortasse facta, cum exceptio a iure statuta secumferre videatur voluntatem Legislatoris nullam tum potestatem *mortis causa*, ita dicam, iure ipso tribuendi. Potestque tum sacerdos saecularis, tum religiosus deputari, modo sit ad grave munus idoneus. Cumque munus sit natura sua episcopale, putamus Praesulem missionis prae oculis habere oportere praescriptum can. 331, § 1, ac simul personarum, locorum rerumque circumstantias; ceterum prudenti Praesulis arbitrio a iure relinquitur iudicium circa qualitates deputandi.

2. *Pro-vicarius aut Pro-praefectus nullam habet*, etc. — Pro-vicarius et Pro-praefectus constituuntur quodammodo, ut supra diximus, *mortis causa* seu pro tempore, quo Praesulis ius fuerit vel morte solutum vel fortasse vi aut inhabilitate omnino suspensum: ideoque ex ipsa muneris natura, nullam habent, vivente et non impedito Praesule missionis, potestatem, nisi aliqua eis *ab homine* fuerit, potius quam aliis, ex delegatione

(1) Quamvis, tum ex officii natura (cum ipsi R. Pontificis vice regant territorium sibi commissum) tum ex iure positivo, nempe ex contextu can. 198, non possint Praesules missionum Vicarium generalem instituere, possunt tamen, praeter Pro-vicarium aut Pro-praefectum, deputare singulis vicibus Vicarios delegatos; imo, 8 dec. 1919, S. Congr. de Prop. Fide facultatem iis fecit deputandi, si opus sit, unum aut etiam plures, ad norman can. 366, Vicarios delegatos cum potestate ordinaria Vicarii generalis, iuxta can. 368, § 1 et 2. Nihil autem videtur prohibere, quominus Pro-vicarius et Pro-praefectus sint simul Vicarii delegati cum potestate Vicarii generalis.

commissa. Deficiente autem Praesule eiusve iurisdictione impedita, iure ipso ad tempus succedunt, ac debent regimen missionis universum assumere ac retinere, donec ab Ap. Sede aliter fuerit quomodocumque provisum.

3. *Pari modo Pro-vicarius*, etc. — *Si forte contingat ut nemo*, etc. — Quoniam, mortuo Praesule missionis eiusve iurisdictione impedita ac suffecto ipso facto ex dispositione iuris Pro-vicario aut Pro-praefecto, eadem redit necessitas incolumitati missionis, quae nullo tempore acephala esse debet, consulendi, pari modo, quo Vicarius et Praefectus, Pro-vicarius et Pro-praefectus, statim ac territorii administrationem susceperint, deputare debent ecclesiasticum virum, qui sibi, in munere fortasse obeuntibus eorumve impedita iurisdictione, cum omnimoda potestate succedat. Eademque ratione, si, quacumque de causa et quocumque tempore, forte contigerit ut nemo fuerit *ab homine* uti administrator designatus, tum, titulari aut pro-titulari vicariatus vel praefecturae ap. deficientibus, senior inter missionarios, quorum Ordini aut Instituto eius missionis cura commissa est (S. Congr. de Prop. Fide, 29 sept. 1827, n. 2), aut, si aeque senes plures fuerint, antiquior sacerdotio in territorio praeses designatus censetur a iure, ut missionis regimen assumat cum potestate Pro-vicarii aut Pro-praefecti Ap. Interim vero, si contestatio aliqua proposita fuerit, ad Ap. Sedem recurrendum est (ibid. n. 5).

Can. 310.

§ 1. *Ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can.* 309, *ii debent quamprimum certiorem facere Apostolicam Sedem.*

§ 2. *Interim uti possunt omnibus facultatibus sive ordinariis ad normam can.* 294, *sive delegatis, quibus Vicarius vel Praefectus pollebat, nisi commissae fuerint ob industriam personae.*

Canon explicatione non indiget. Is igitur, ad quem, ut supra dictum est, territorii cura devenerit, omnimoda potestate gaudet, quam titularis sive a iure sive *ab homine* habebat, iis tantum exceptis facultatibus, quae ob industriam defuncti vel impediti Praesulis concessae fuerant.

Itaque ratio habenda est litterarum ap. aut decreti nominationis. Estque potestas huiusmodi a iure seu ab Ap. Sede delegata (cfr. can. 199, § 2).

Can. 311.

Qui vicariatui vel praefecturae apostolicae ad certum tempus praepositus est, debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis permanere, licet definitum tempus fuerit praeterlapsum, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit.

Facultates *ab homine*, quibus fruuntur Praesules missionum ac proinde ii quoque ad quos, ad normam can. 309, vicariatus vel praefecturae ap.

cura devenerit, ad tempus conceduntur (cfr. *Jus pontif.* 1923, pag. 193 et seq) ; ideoque contingere potest, ut tum illis, post renunciationem, translationem, revocationem, tum istis, ante adventum novi titularis, praeterlapsum sit tempus iisdem facultatibus *ab homine* praefinitum. Canon tradit, hoc in casu et facultates iure ipso prorogari et in munere esse permanendum, donec novus titularis canonicam officii possessionem ceperit.

CAPUT IX.

DE ADMINISTRATORIBUS APOSTOLICIS.

Can. 312.

Dioecesis canonice erectae regimen, sive plena sive vacante sede, aliquando Summus Pontifex ob graves et speciales causas Administratori Apostolico vel in perpetuum vel ad tempus committit.

1. *Dioecesis canonice erectae* etc. — Administratores Ap. tantummodo ad dioeceses canonice erectas, quarum titulares nonnisi ex gravissimis causis removeri possunt, a R. Pontifice mittuntur : cetera namque territoria, nempe vicariatus ac praefecturae ap., iam per se vice et nomine R. Pontificis administrantur eorumque titulares semper possunt *ad nutum* eiusdem removeri. Praxis autem Administratores Ap. mittendi exordia sumpsisse videtur labente saec. XIII, ita ut iam Bonifacius Pp. VIII (a. 1294-1303) aperte declararet (c. 42 *de elect. et elect. potest.* I, 6 et c. 4 *de suppl. negligent. praelat.* I, 8 in VI), Administratorum dioeceseon constitutionem *soli Ap. Sedi competere, nec ab alio quam a R. Pontifice deputari posse.* Contra, ante id tempus et Metropolitae et quandoque etiam Episcopi viciniores, sede vacante, Administratorem constituebant (cfr. Villien-Magnin, *Dictionnaire de droit canon.*, pag. 181) ; imo huiusmodi antiqua praxis Ap. Sedis permissu, in Status Foederatos Americae septentrionalis aetate hac nostra introducta est, ibique usque ad Codicis promulgationem vim habuit iuris particularis (S. Congr. Consist. 22 febr. 1919).

2. *Sive plena sive vacante sede*, etc. — Porro iure nunc vigente, sive sedes plena sit sive vacans, R. Pontifex, quoties peculiaris aliqua gravis causa id requirat, innixus potestate primatus iurisdictionis, per quam est immediatus Pastor omnium Pastorum ac fidelium in universa Ecclesia existentium, dioecesibus canonice erectis Administrator Ap. praeficere solet ; idque vel in perpetuum, idest sine temporis definitione, vel ad tempus, nempe tempore explicite aut implicite praefinito. Quocirca, sunt qui dicunt, idem esse *ad tempus* et *certam ob causam* constitui. Sed hoc loquendi modus nobis non placet : nam in primis nullus Administrator

Ap. sine causa constituitur ; deinde omnes constituti intelliguntur causa perdurante, et tamen non omnes ad tempus constituuntur. Causa, ob quam, sede plena, Administrator Ap. constituitur, nonnisi unica esse potest, scilicet inhabilitas titularis in dioecesi regenda sive haec inhabilitas ex facto Episcopi residentialis, veluti ex senectute, morbo, imperitia proveniat, sive ex facto alieno per quod exercitium iurisdictionis diu impeditum iri videatur, veluti est Episcopi captivitas, relegatio aut exilium (cfr. can. 429 § 1). Sede autem vacante, causae canonicae plures esse possunt, veluti mors violenta Episcopi residentialis (cfr. can. 2291 § 3 et 2292), tumultuosarum in deputando Vicario capitulari dissensionum praevisio (cfr. can. 431 § 1) aut diutina, quacumque de causa, vacatio sedis. Haec generaliter ; sed aliis quoque de causis, praesertim politicis, Ap. Sedis iudicio perpendendis, Administrator Ap. constituitur.

CAN. 313.

§ 1. *Quilibet Administrator Apostolicus, si datus fuerit dioecesi, sede plena, canonicam administrationis possessionem init ostendens litteras suae nominationis tum Episcopo, si sit mentis consiliique compos et in dioecesi versetur, tum etiam Capitulo, ad normam can.* 334 § 3.

§ 2. *Si sedes fuerit vacans, vel si Episcopus non sit mentis consiliique compos aut in dioecesi non moretur, Administrator Apostolicus possessionem sumit ad instar Episcopi secundum cit. can.* 334 § 3.

1. *Quilibet Administrator* etc. — Possessionis canonicae captio seu institutio corporalis in beneficium, officium aut dignitatem, a rei traditione sine qua iure romano rerum dominia non transferebantur (l. 20 Cod. *de pactis*, II, 3) derivata, duplici de causa in ius nostrum recepta esse videtur : ut muneris collatio perfecta fieret atque ut factam esse publice constaret. In Administratore Ap. constituendo, beneficium consistoriale minime confertur : si namque constitutio sede plena fiat, beneficii titulum Episcopus conservat, quamvis universa eius iurisdictio, ac proinde eius Vicarii generalis, facto ipso suspendatur (can. 316 § 1), ideoque obligatio Missae pro populo applicandae Episcopum gravat (can. 315 § 2 n. 1) ; si autem fiat sede vacante, tenetur quidem, sicuti et Vicarius capitularis (can. 440), ad Missam pro populo applicanda ne interim populus applicationis fructibus defraudetur, imo, si permanenter constitutum fuerit, iisdem ac titularis iuribus atque honoribus fruitur (can. 315 § 1), sed beneficium episcopale, perinde ac iacens hereditas, sua iuridica personalitate innixum (cfr. fr. 13 D. IX, 2 et fr. 31 D. XXVIII, 5) et sine titulari subsistit et futuro titulari servatur. Quare tum beneficio, quod vel a nemine vel male a titulari administratur, R. Pontifex manus apponit

atque, per interpositam Administratoris Ap. personam, potestate pontificia admnistrandum curat : unde etiam descendit, Administratorem Ap. inter eos recensendum essequi supremae potestatis sunt iure ecclesiastico participes. Haec autem omnia oportet publice constent, idque fit per canonicam possessionem, non beneficii episcopalis sed administratorii muneris.

2. *Si datus fuerit dioecesi, sede plena* etc. — Administrator Ap. in capienda possessione muneris eandem formam servare debet ac Episcopus residentialis, nempe estendendo, sive per semetipsum sive per procuratorem, litteras suae nominationis Capitulo ecclesiae cathedralis, Capituli secretario vel cancellario Curiae rem in acta referente (can. 334 § 3). Praeterea, sede plena, si Episcopus sit sui compos et in dioecesi versetur, eidem primum ostendendae sunt litterae. Tum vero ipso facto et Administratoris munus incipit et Episcopi ac pronide Vicarii generalis iurisdictio universa suspenditur (can. 316 § 1).

Can. 314.

Jura officia ac privilegia Administratoris Apostolici desumantur ex litteris suae deputationis, vel, nisi in eisdem aliud caveatur expresse, ex praescripto canonum qui sequuntur.

Administrator Ap. ab Ap. Sede mittitur, ut vice ac nomine R. Pontificis agat : inde eius potestas, obligationes, privilegia ; neque ei alius titulus suffragatur. Quare, nonnisi ea frui potestate censendus est iisque obligationibus atque privilegiis, quae eidem R. Pontifex inesse iusserit. Potest autem R. Pontifex duplici modo suam hac in re voluntatem significare : aut per dispositiones generales Codice contentas, aut per peculiares dispositiones in litteris deputationis circumstantiis peculiaribus accomodatas. Hinc regula hoc canone statuta : scilicet inesse Administratoribus Ap. ea iura, obligationes ac privilegia, quae per can. 315-318 definiuntur, nisi in litteris deputationis aliter caveatur. Itaque, harum litterarum dispositionibus, quae quoniam a circumstantiis et a voluntate Pontificis unice pendent, diversissimae esse possunt, relictis, de generalibus dispositionibus Codicis videamus.

Can. 315.

§ 1. *Administrator Apostolicus permanenter constitutus iisdem iuribus et honoribus fruitur, iisdemque obligationibus tenetur ac Episcopus residentialis.*

§ 2. *Si ad tempus datus sit :*

1° *Eadem iura ac officia habet ac Vicarius Capitularis, sed, sede plena, potest dioecesim visitare ad tramitem iuris, nec tenetur obligatione applicandae Missae pro populo, quae Episcopum gravat.*

2° *Ad honorifica privilegia quod attinet, valeat praescriptum can.* 308; *sed Episcopo qui, ad aliam sedem translatus, prioris retinet administrationem, in hac quoque omnia Episcoporum residentialium honorifica privilegia competunt.*

1. *Administrator Apostolicus permanenter constitutus* etc. — Supra vidimus, tum Administratorem Ap. in perpetuum seu permanenter deputari, cum perduratio muneris neque explicite neque implicite praefinitur, perinde atque in lege contingit, quam ideo perpetuam esse dicimus, quod fertur sine ulla temporis praefinitione. Administratores vero Ap. in perpetuum *absolute* et *positive*, deputari non possunt, cum et natura muneris obstet et natura dioecesis canonice erectae. Porro ad Administratorem Ap. permanenter constitutum eadem iura, obligationes, honores spectant atque ad Episcopum residentialem: et haec postea suo loco exponemus. Defertur autem (praesertim ob causas politicas, quae titularem nominare non sinunt) munus huiusmodi semper clerico praedito episcopali charactere, et saepe saepius viciniori Episcopo residentiali aut Metropolitae.

2. *Si ad tempus datus sit*, etc. — Cum Administrator Ap. datur ad tempus, idest tempore praefinito, quia precaria est huiusmodi dioecesis conditio, et ea perdurante nihil in dioecesi innovare oportet (cfr. can. 436), non plus eidem Administratori potestatis a iure defertur aut oneris imponitur, quam Vicario capitulari imponatur ac deferatur : quam quoque Vicarii capitularis potestatem eiusque limites atque adnexas obligationes suo loco postea explicabimus. Duo tamen sunt animadvertenda. In primis, sede quidem vacante, Administrator ad tempus datus, sicuti et Vicarius capitularis canonicam dioecesis visitationem peragere non possunt : idque, ne suis forte decretis in visitatione latis, quidquam praeiudicii futuro titulari afferre videantur (cfr. can. 435 § 3). Videtur tamen non prohiberi, quominus, necessitatibus ordinariae administrationis ita exigentibus, paroeciam, ecclesiam aut pium locum coram inspicere et quae opportuna visa fuerint decernere queant. Dum enim ante promulgationem Codicis canonicam visitationem perficere poterant, *dummodo elapsus esset annus a die ultimae visitationis factae ab Ordinario* (S. Congr. Concilii, 13 sept. 1721), post Codicem, utili tempore ad dioecesim visitandam ad quinquennium prorogato (can. 343 § 1), hanc facultatem ex ipso huius canonis contextu, ad normam can. 435 § 1 sublatam esse censemus. Contra, sede plena, cum hoc in casu per longum quoque tempus protrahi possit pontificia dioecesis administratio, Administratori Ap. ius et obligatio incumbit dioecesim visitandi ad tramitem iuris, idest tempore et modo a iure Episcopis residentialibus statuto. Deinde, ex adverso, obligatio Missae pro populo applicandae, quae et Vicarium capitularem tenet et Administra-

torem sede vacante ad tempus datum, hunc amplius non tenet (tum namque titularis adest, cui est, sive per se sive per alium, munus huiusmodi subeundum) si datus fuerit sede plena.

3. *Ad honorifica privilegia quod attinet*, etc. — Can. 308 iam exposuimus. Cetera verba huius canonis exceptionem continent quoad Episcopos residentiales, qui ad aliam sedem sive residentialem sive *titularem* (ratio eadem est in utroque casu, nempe ne populo Episcopus deminutus videatur) translati, prioris sedis administrationem retinent: scilicet Episcopus huiusmodi, post receptam authenticam notitiam translationis *in hac quoque*, idest in dioecesi *a qua*, omnia honorifica privilegia retinet Episcoporum residentialium. Quod probe intelligendum est. Sunt namque quaedam privilegia honorifica, quae, a recepta authentica notitia canonicae provisionis, omnibus Episcopis, sive residentialibus sive titularibus, competunt (cfr. can. 349 § 1): et de hisce privilegiis nulla difficultas. Sed alia sunt privilegia honorifica, veluti peculiare ius praecedentiae (cfr. can. 347), usus throni (cfr. can. 349 § 2, n. 3) et cappae magnae, quae propria sunt Episcoporum residentialium, sed tantummodo postquam dioecesis possessionem ceperunt. Sic igitur verba canonis interpretanda esse videntur: 1° Quandoque contingit, ut Ap. Sedis iussu debeat Episcopus residentialis, ad aliam sedem sive residentialem sive titulalem translatus, dioeceseos, quae ei est derelinquenda, temporariam administrationem retinere usquedum novus Episcopus, saltem per procuratorem, possessionem capiat, vel constitutus sit Administrator Ap. Quo in casu, facto ipso Ap. Sedis per litteras translationis significato, interdicitur Capitulo cathedrali Vicarii capitularis deputatio. 2° Interea Episcopus, sive ad residentialem sive ad titularem sedem translatus fuerit, in dioecesi *a qua* omnibus honoribus fruitur, quibus antea fruebatur. 3° Quod si translatus fuerit ad sedem residentialem, postquam eiusdem sedis per procuratorem possessionem cepit, *in hac quoque*, idest in utraque dioecesi, tum *a qua* tum *ad quam* est translatus, omnibus gaudet honorificis privilegiis Episcoporum residentialium.

Can. 316.

§ 1. *Si Administrator Apostolicus dioecesi, sede plena, praeficiatur, iurisdictio Episcopi eiusque Vicarii Generalis suspenditur.*

§ 2. *Quamquam autem Administrator Apostolicus Episcopi auctoritati non subest, non debet tamen se immiscere causis Episcopum ipsum spectantibus, neque in Vicarium eius Generalem iudicium seu processum instruere aut animadvertere ob acta praeteritae administrationis.*

Administrator Ap., uti supra innuimus, agit potestate pontificia. Videamus igitur, quinam sint iure communi (idest non consideratis

amplioribus facultatibus, quae ab Ap. Sede pro rerum adiunctis demandari possunt) limites huius potestatis. Limites autem huiusmodi ex duplici mihi capite constant :

1° Ex fine, ad quem consequendum potestas demandata est, qui finis in hoc consistit, quod Administrator Ap. Episcopi locum teneat. Ideoque necessario, si datus fuerit sede plena, simul ac Administrator Ap. possessionem cepit, omnis Episcopi, ac proinde eius Vicarii generalis (cum unum et idem sit utriusque tribunal), iurisdictio suspenditur. Contra, cum non ideo Administrator Ap. constituatur, ut in dioecesi de praeteritis caveat ; cumque ius Episcopos iudicandi, in causis quidem criminalibus penes R. Pontificem sit (can. 1557 § 1, n. 3), in contentiosis vero penes Tribunalia Ap. Sedis (ibid. § 2, n. 1); cum denique de praeterita Vicarii generalis administratione Episcopi sit respondere : neque potest Administrator Ap. immiscere sese in causis ad Episcopum ipsum spectantibus, neque in Vicarium generalem procedere aut animadvertere ob acta praeteritae administrationis.

2° Ex universo systemate, quo R. Pontifex utitur in sua potestate iis omnibus, qui eiusdem sunt iure ecclesiastico participes, demandanda. Aliis verbis potestas Administratoris Ap. nullum, saltem iure communi, praeiudicium afferre potest iis, qui ex eodem fonte potestatem maiorem derivarunt, veluti ex. c. Metropolitae, sive in Concilio provinciali sive extra Concilium. Quare profecto non intelligo, cur cl.mo Wernz (*Jus decretal.* II, 704) *singulare videatur quod, non obstante deputatione pontificia, ab Administratorum Ap. sententiis ad Metropolitam appellari possit, neque ad R. Pontificem appellatio interponi debeat.* Scilicet non video, qua de causa potestas Administratoris Ap. derogare deberet superiori potestati Metropolitarum, quae et ipsa, qua talis, pontificia est.

Can. 317.

Si impedita fuerit iurisdictio Administratoris Apostolici aut si idem Administrator defecerit, Sedes Apostolica statim moneatur ; et interim, si dioecesis vacet aut Episcopus non sit sui compos, valent praescripta can. 429 *seqq.*; *secus Episcopus dioecesim regit, nisi Sedes Apostolica aliud praestituerit.*

Sicuti per can. 309-311 locis missionum et per can. 429-444 sedibus residentialibus impeditis aut vacantibus ob carentiam titularis, ita hoc canone Legislator hisce postremis sedibus consulit, si forte Administrator Ap. iisdem datus obierit aut si eius iurisdictio impedita fuerit.

Tum igitur primum monenda est Ap. Sedes, quae per constitutionem Administratoris Ap. manus ei sedi apposuerat. A quo monenda? Procul dubio ab eo, qui interim in dioecesis regimine succedere tenetur. Quis vero

tenetur interim succedere ? Distinguendum est : aut enim sedes vacans est aut plena ; et rursum, si plena, aut Episcopus est sui compos aut minus. Si sedes vacet aut (quod, hoc in casu, in idem redit) sui compos Episcopus non sit, valet praescriptum can. 429 et sequentium. Iam vero can. 429 duo statuit, quae casui de quo quaestio, applicari possunt. Nimirum, si agatur de impedita Administratoris Ap. iurisdictione, extare potest *vir ecclesiasticus* ab eodem delegatus, de quo in eod. can. § 1. Qui si non extiterit, idest si nullus *vir ecclesiasticus* delegatus fuerit, itemque si agatur de obitu Administratoris Ap., ad normam § 3 eiusd. canonis, regimen dioecesis devolvitur ad Capitulum cathedrale, a quo ad tramitem iuris Vicarius capitularis est deputandus. Contra, si et sedes plena sit et Episcopus sui compos, hic interim dioecesis regimen resumere debet.

Haec usque dum Ap. Sedes providerit, et nisi aliud, per litteras nominationis defuncti aut impediti Administratoris vel quomodocumque, praestituerit.

Can. 318.

§ 1. *Administratoris Apostolici iurisdictio Romani Pontificis aut Episcopi obitu non cessat.*

§ 2. *Cessat vero cum Episcopus dioecesis vacantis possessionem legitime ceperit ad normam can.* 334 § 3.

1. *Administratoris Apostolici iurisdictio* etc. — Iurisdictionem Administratoris Ap., sede plena constituti, per se non extingui obitu Episcopi facile constat, cum non ab Episcopo demandata sit sed a R. Pontifice, qui sane eam potest, pro sua conscientia et arbitrio, prorogare. Ideo totum negotium in R. Pontificis voluntate positum est. Cum autem Codex hoc canone statuat, iurisdictionem Administratoris Episcopi obitu non cessare, id semper Pontifex velle censetur, nisi manifeste contrarium appareat. Quod autem iurisdictio eiusdem Administratoris, sive plena sive vacante sede constituti, ne per obitum quidem R. Pontificis extinguatur, non ita facile intelligitur. Potest namque quis hic quaerere, curnam deficiente Principe, qui universae potestatis mere ecclesiasticae est fons, non simul pereat, aut saltem suspendatur, potestas ex eo fonte derivata. Cui quaestioni, quae saepe in iure redit, in primis responderi potest generaliter, id ea de causa non fieri, quod huiusmodi suspensio in maximum verti posset Ecclesiae detrimentum, si praesertim Ap. Sedes diutius vacaret : quod ut vitaretur, merito censetur attribuisse Christus Dominus Romanis Pontificibus facultatem eam potestatem post obitum quoque suum prorogandi. Sed quaestio, ni fallimur, solvi potest faciliore eoque iuridico argumento. Nimirum potestas mere ecclesiastica, quae a R. Pontifice per

Ecclesiam universam defluit, si quidem *a iure* descendat per legem, si vero descendat *ab homine*, per decretum aut iussum, rationem legis habens, consistit. Est autem legis proprium esse per se perpetua, scilicet eo usque durare, quo abrogata non fuerit. Hinc cuiusque R. Pontificis leges, decreta, iussiones, per se et nisi aliud expresse cautum fuerit a iubente, vi suae legitimitatis innixa, eo usque perdurant suosque omnes legitimos effectus producunt, quo ab alio R. Pontifice successore ex toto vel ex parte revocentur : ideoque et potestas inde derivata.

2. *Cessat vero cum Episcopus*, etc. — Supra diximus, extinctionem potestatis Administratoris Ap. a voluntate R. Pontificis unice pendere. Quare, tum cessasse censenda est, cum quomodocumque R. Pontifex id se velle significaverat. Et hinc est, quod, cum novus Episcopus ab Ap. Sede nominatus dioecesis vacantis legitimam possessionem capit, facto ipso omnis iurisdictio Administratoris Ap. extinguitur.

CAPUT X.

DE PRAELATIS INFERIORIBUS.

Can. 319.

§ 1. *Praelati qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati «nullius», nempe dioecesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet.*

§ 2. *Abbatia vel Praelatura « nullius », tribus saltem paroeciis non constans, singulari iure regitur, nec eidem applicantur quae canones statuunt de abbatiis et praelaturis « nullius ».*

1. *Proprio nomine Praelati in iure dicuntur*, ait can. 110, *clerici sive saeculares sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent.* Unde clericus quicumque, qui iurisdictionem ordinariam in foro externo habet, in iure Praelati nomine venit. Praelatorum autem duo sunt genera : alii namque maiores seu superiores, alii inferiores dicuntur. Maiores sunt, praeter R. Pontificem, Cardinales, Nuntii, Internuntii, Delegati Ap., Patriarchae, Primates, Metropolitae, Vicarii, Praefecti, Administratores Ap. atque Episcopi residentiales ; ceteri sunt inferiores. Quocirca Benedictus Pp. XIV (*De synodo dioec.* lib. II, c. 11), iuxta communem canonistarum sententiam, docet tres esse species Praelatorum huiusmodi : *Tres*, ait, *distinguimus inferiorum Praelatorum species. Prima est eorum, qui certo praesunt generi personarum, existentium intra septa alicuius ecclesiae, monasterii seu conventus, cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi. Eiusmodi sunt Supriores regulares et nonnulli Praelati saeculares, qui una cum ecclesia eiusque ecclesiae clericis et admini-*

nistris (veluti contingit in ecclesiis *palatinis* — cfr. Cavagnis, *Instit. iuris publ. eccl.* II, pag. 313 seq.), *quibus praeficiuntur, subsunt immediate Romano Pontifici. Secunda species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim a qua undique circumscribitur* (veluti si Sanctuarium quoddam cum territorio et populo paroeciae in eo erectae atque clero eidem addicto, iurisdictioni Episcopi subtrahatur ac Praelati, qui Sanctuario praeest, iurisdictioni subiiciatur). *Et eiusmodi Praelati improprie tantum et lato quodam loquendi modo dicuntur esse « nullius ». Tertia species est Praelatorum, qui iurisdictionem activam habent in clerum et populum alicuius loci seu oppidi, aut plurium locorum et oppidorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi ; quapropter dicuntur constituere quandam quasi-dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet quae ceteroquin ad episcopalem iurisdictionem pertinerent. Huius generis Praelati inter inferiores nobilissimi sunt, dicuntur vere et proprie « nullius » et veris adnumerantur Ordinariis locorum.* Itaque Codex, dum de Praelatis secundae speciei, cum peculiari semper iure regantur, ne verbum quidem facit ; dumque de Praelatis primae speciei amplissime tractat libr. II part. II, in explicandis iuribus atque obligationibus Superiorum religionum exemptarum : de Praelatis tertiae speciei hoc in capite agit.

2. Abbates ac Praelati *nullius* ob rationes historicas, ideoque diversissimas, constituti sunt atque constituuntur. Coeptum est ab Abbatiis regularibus, eas paullatim per exemptiones pontificias ab Episcoporum iurisdictione subtrahendo. Et hinc est, quod in Concilio Romano, uti refert Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.* part. I lib. III c. 28 n. 4), Episcopi Italiae aperte protestati sunt, *nihil superesse aliud, nisi ut, sublatis virgis et annulis, monachis deservirent : illos enim ecclesias, villas, castra, decimationes, vivorum et mortuorum oblationes detinere.* Nec tamen Romani Pontifices, cum et quasi-dioeceseon huiusmodi erectionem Ecclesiae utilitati, certis in adiunctis, conferre posse deprehenderent, loco cesserunt. Quare, a saeculo circiter X usque ad hanc nostram aetatem Abbates ac Praelatos *nullius* in Ecclesia reperimus. Imo ipse Benedictus Pp. XV, per constit. *Ecclesiae universae* (4 oct. 1919) itemque per aliam constit. *Ecclesiae universae* (8 iun. 1920), deinde vero per constit. *Eximia Benedictini Ordinis* (6 maii 1921), praelaturas *nullius* « Acrensem-Puruensem » et « de Bono Jesu de Gurgueia » in Brasilia, atque abbatiam *nullius* « S. Petri apud Münster » in ditione Canadensi erigebat (1).

---

(1) In *Annuario delle diocesi e del clero d'Italia*, a S. Congr. Consistoriali diligenter confecto et nuper edito, 17 abbatiae ac 10 praelaturae *nullius* inscriptae reperiuntur. Quae sunt :

3. *Praelati qui praesunt territorio proprio* etc. — Hoc in canone figura iuridica Abbatum ac Praelatorum *nullius* a Legislatore diligenter definitur. Scilicet ita appellantur Praesules, qui praesunt territorio proprio ab omni dioecesi separato. Quocirca videtur ius nostrum rigidius esse iure civili. Hoc namque iure, uti Princeps quis genuinus censeatur ac suprema potestate gaudeat, sufficit territorio proprio praesit, neque requiritur ut territorium huiusmodi omnino separatum sit a territoriis alienis, ut nempe a nullo eorum circumeatur. Ita, theorice saltem et iure tenus, respublica S. Marini in Italia, perinde atque ceteri Status, internationali personalitate gaudet, cum omnibus iuribus quae Statuum sunt propria, quamvis undique territorio italico circumscribatur. Contra, iure nostro, uti supra vidimus, nedum dioecesis intra dioecesim esse potest, sed neque possunt iura abbatiae vel praelaturae *nullius*, quae sit a dioecesi circumscripta, salva consistere: tum namque, iuribus haud mediocriter imminutis, nomen ipsum a canonistis contrahitur, extatque abbatia vel praelatura *quasi-nullius*, cui ea Praelatorum species praeficitur, quam Benedictum Pp. XIV secundo loco recensere antea demonstravimus. Non igitur dantur Praesules *nullius*, quin praesint territorio ab omni dioecesi separato, videlicet quod neque *de dioecesi* sit neque *intra dioecesim*. Sed praeterea adesse debet clerus et populus, in quem sit iurisdictio exercenda; imo, ut postea videbimus, tres saltem paroeciae canonice constitutae requiruntur: aliis verbis, ut Fagnanus ait (*Commentaria*, ad cap. *Grave*, de officio Ordinarii), *constituitur locus nullius dioecesis non per simplicem exemptionem a iurisdictione dioecesani, sed per dismembrationem territorii, cum omnimoda iurisdictione inferioris Praelati in clerum et populum excluso Episcopo*. Cumque dismembratio haec, per quam erigitur abbatia vel praelatura *nullius*, a R. Pontifice iure mere ecclesiastico fiat, dum contra, dioeceseon in Eccle-

---

Abbatia B. M. Auxiliatricis de *Belmont* (U. S. A.), erecta 8 iun. 1910: regit Episcopus Titularis Ordinis S. Benedicti — Abbatia SS. Trinitatis de *Cava de' Tirreni* (Italia), erecta a. 1394: regit Abbas Ord. S. Benedicti — Abbatia de *Einsiedeln* (Helvetia), erecta a. 834: regit Abbas Ord. S. Benedicti — Abb. de *Monte Cassino* (Italia): regit Abbas Ord. S. Ben. — Abbatia de *Monte Oliveto Maggiore* (Italia), erecta 18 ian. 1765: regit Abbas Ord. S. Ben. Congregationis Olivetanae — Abb. de *Monte Vergine* (Italia), erecta saec. 12°: regit Abbas Ord. S. Ben. — Abb. S. Petri apud *Münster in Saskatchewan* (Canada), erecta 6 maii 1921: regit Abbas Ord. S. Ben. — Abb. de *New Nursia* (Australia), erecta 12 mart. 1867: regit Abbas Ord. S. Ben. — Abb. de *Oroshi* (Albania), erecta 25 dec. 1888: regit Episcopus Titul. — Abb. S. Martini de *Pannonhalma* (Hungaria), erecta a. 997: regit Abbas Ord. S. Ben. — Abb. de *S. Maria de Monserrat* (Brasilia), erecta 15 aug. 1907: regit Abbas Ord. S. Ben. — Abb. de *S. Martino al Monte Cimino* (Italia), erecta saec. 13°: regit Abbas saecularis — Abb. de *St. Maurice d'Agaune* (Helvetia), erecta a. 1840: regit Episcopus Titul. Canonicor. Regular. S. Augustini — Abb. de *Subiaco* (Italia), erecta saec. 11°: regit Abbas Ord. S. Ben. — Abb. Sanctor. Vin-

sia constitutio iure divino positivo innititur (cfr. can. 329, § 1°), inde quidquid in Praesulibus *nullius* est iurisdictionis quasi-episcopalis, totum defluit, non solum *immediate* sed etiam *mediate*, a R. Pontificis potestate et iure mere ecclesiastico consistit. Unde etiam, cum sedes episcopalis non sit, si, ut regiminis necessitatibus aptius consulatur, oporteat Abbatem vel Praelatum *nullius* episcopali charactere augeri, ad Ecclesiam tum titularem nominatur (cfr. ex. c. Benedicti Pp. XV constit. *Ecclesiae universae*, 4 oct. 1919 et 8 iun. 1920). Et nihilominus Praesules *nullius* non R. Pontificis, sed proprio nomine territorium administrant seu, ut habet Oietti (*Synopsis*, v. *Praelatus*), iurisdictione gaudent *exercenda non titulo vicariali, sed proprio nomine ; quare iurisdictio dicitur et est quasi-episcopalis*. Eademque de causa, secus ac de missionum Praesulibus supra diximus, Vicarium sibi generalem constituere possunt (can. 198 § 1 et 323 § 3). Quare? Quia, ut omnia paucis perstringamus, Ap. Sedes, a qua potestas iurisdictionis in omnes Ecclesiae Praelatos *immediate* vel *mediate* descendit, quemadmodum sacramentalia instituit ad exemplum sacramentorum, ita passim erexit abbatias ac praelaturas *nullius*, Praelatis inferioribus (cum sedes episcopales non sint) per se conferendas, ad exemplum dioeceseon residentialium. Et hinc omnia fere defluunt, quae hoc in capite habentur.

4. *Abbatia vel praelatura «nullius»* etc. — Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex tribus saltem personis physicis (can. 100, § 2) : idque ideo, quod tres saltem personae physicae requiruntur ad libere agendum per maioritatem suffragiorum (cfr. can. 101, § 1). Per analogiam, tres saltem paroeciae requiruntur ad constituendam abbatiam vel praelaturam *nullius* iuris communis.

---

centii et Anastasii de *Tre Fontane* (Italia), erecta a. 1140 : ipse R. Pontifex ad tempus administrat per Praelatum saecularem — Abb. S. Pauli extra muros de *Urbe* : regit Abbas Ord. S. Ben. — Abb. B. M. Virginis de *Wettingen* (Austria), restituta a. 1890: regit Abbas Ord. Cistercensis.

Deinde : Praelatura de *Acre e Purus* (Brasilia), erecta 4 oct. 1919 : regit Episcopus Titul. Ord. Servorum B. M. Virg. — Prael. Palatina de *Altamura e Acquaviva* (Italia), erecta a. 1848 : regit Episcopus Titul. — Prael. de *Bom Jesus do Piahuy* (Brasilia), erecta 18 iun. 1920 : regit Episcopus Titul. — Prael. de *Ciudad Real* (Hispania), erecta 18 nov. 1875 : regit Episcopus Titul. — Prael. S. Josephi de *Grajahù* (Brasilia), erecta 10 febr. 1922 : regit Praelatus ex Ord. Minor. Cappucinorum — Prael. de *Mozambico* (Africa), erecta 21 ian. 1612 : regit Episcopus Titul. Ord. Minor. S. Francisci — Prael. de *Registro do Araguaya* (Brasilia), erecta 12 maii 1914 : regit Episcopus Titul. Congreg. Salesianae — Prael. de *Santa Lucia del Mela* (Italia) : regit Episcopus Titul. — Prael. de *Santarem* (Brasilia), erecta 21 sept. 1903 : regit Episcopus Titul. Ord. Minor. S. Francisci — Prael. *SS. Concepción do Araguaya* (Brasilia), erecta 18 iul. 1911: regit ad tempus Administrator Ap. Ord. Praedicatorum.

Can. 320.

§ 1. *Abbates vel Praelati « nullius » nominantur et instituuntur a Romano Pontifice, salvo iure electionis aut praesentationis, si cui legitime competat ; quo in casu ab eodem Romano Pontifice confirmari aut institui debent.*

§ 2. *Assumendi ad abbatiam vel praelaturam « nullius » iisdem qualitatibus ornati esse debent, quas ius in Episcopis requirit.*

Ad normam can. 148, § 1, provisio officii ecclesiastici fit vel per liberam collationem vel per institutionem, confirmationem aut admissionem : per institutionem, si praesentatio a patrono facta aut nominatio praecesserit; per confirmationem, si praecesserit electio ; per admissionem, si postulatio. Atque ita contingit in conferendis abbatiis ac praelaturis *nullius*. Quae cum inter officia consistorialia recenseantur (cfr. Gregorii Pp. XIV constit. *Onus Apostolicae*, 15 maii 1591, § 12), ab uno R. Pontifice per S. Congr. Consistorialem et Cancellariam Ap. (can. 260) conferuntur. Ob eademque rationem, assumendi ad officia huiusmodi ornati esse debent iisdem qualitatibus, quas ius in Episcopis requirit, quasque postea suo loco explicabimus.

Can. 321.

Si cui collegio est ius eligendi Abbatem vel Praelatum « nullius », ad validam electionem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis, firmo peculiari iure quod maiorem suffragiorum numerum exigat.

Iuxta can. 101 § 1, personae morales collegiales agunt per voluntatem manifestatam a maioritate, nempe absoluta in primo et altero scrutinio, relativa in tertio scrutinio. Sed id locum habet, *nisi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit* (ibid.). Hoc igitur canone exceptio continetur quoad regulam supra commemoratam, ita scilicet, ut semper irrita sit electio Abbatis vel Praelati *nullius*, nisi numerus suffragiorum absolute maior, etiam in tertio et subsequentibus scrutiniis, in electum collatus fuerit. Quia vero exceptum censere non debemus, nisi quod expresse exceptum est, videtur hic quoque applicanda esse subsequens eiusdem can. 101, § 1 regula : *si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel* (inter aeque seniores) *prima professione vel* (si et prima professio eodem die emissa fuerit) *aetate*. Quod si ius peculiare legitime vigens maiorem, quam qui hoc in can. 321 praescribitur, numerum suffragiorum exigat (ex. c. duas tertias partes), huic iuri parendum est.

Demum, quaenam suffragia tanquam nulla seu irrita iure habeantur in electionibus, ideoque demenda sint, can. 167 manifeste decernit.

Can. 322.

§ 1. *Abbas vel Praelatus « nullius » nequit quovis titulo sive per se sive per alios in regimen abbatiae vel praelaturae se ingerere, antequam eiusdem possessionem ceperit, ad normam can.* 334, § 3.

§ 2. *Abbates vel Praelati « nullius » qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant.*

1. *Abbas vel Praelatus « nullius » nequit* etc. — Quare officiorum ecclesiasticorum possessio capienda sit, supra explicavimus (cfr. comm. ad can. 313 n. 1). Quum igitur ante captam possessionem provisio canonica perfecta non censeatur, sicuti Episcopus residentialis (can. 334, § 2), Vicarius vel Praefectus Ap. (can. 293, § 2), Administrator Ap. (can. 313), Episcopus Coadiutor (can. 353) aliique ad officium ecclesiasticum promoti, Praesules quoque *nullius* possessionem officii capere tenentur, ut omnibus eidem adnexis iuribus, sive temporalibus sive spiritualibus, frui possint (cfr. can 1472). Quare, ante captam possessionem, in regimen abbatiae vel praelaturae se ingerere non possunt ; et si se ingesserint, ob potestatis defectum, invalide agunt. Et videtur, considerata similitudine officiorum, ex iure communi possessionem canonicam ad summum intra tempus utile quatuor mensium a receptis ap. litteris, perinde atque Episcopis, capiendam esse Praesulibus *nullius* (cfr. can. 333).

2. *Abbates vel Praelati « nullius » qui ex praescripto* etc. — Quemadmodum Episcopi residentiales, intra tempus utile mensium trium ab acceptis litteris apostolicis, episcopalem consecrationem, si ea careant, suscipere tenentur (can. 333), ita a Praesulibus *nullius* benedictio, ab Episcopo quem maluerint, petenda et accipienda est. Non tamen ab omnibus, sed ab iis tantummodo qui, ut canon ait, *ex propriae religionis constitutionibus benedici debent.* Quocirca in primis advertendum est, Abbates ac Praelatos *nullius* aut religiosos esse posse aut saeculares, veluti ex. c. contingit in abbatiis saecularizatis, idest ad beneficium abbatiale redactis. Abbates autem religiosi, ii etiam qui abbatiae *nullius* minime praesunt, ad benedictionem recipiendam regulariter tenentur. Regulariter : nam, ut ait Benedictus Pp. XIII (constit. *Commissi nobis*, 6 maii 1725, § 4), *indultum fuit* (nempe Abbatibus quibusdam) *ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice.* Et haec omnia in religiosis eorum constitutionibus apparent. Deinde advertendum est, Abbates ac Praelatos

nullius saeculares, tum tantum ad benedictionem recipiendam teneri, cum id cavetur praescripto ap. in litteris canonicae provisionis. Benedictio vero ab hisce omnibus recipienda, reperitur in *Pontificali romano* sub tit. *De benedictione Abbatis auctoritate apostolica.* Quod autem paullo antea in rubrica generali ibi legitur, ut nempe *in primis benedicendus provideat de mandato apostolico, benedictionem sibi impendendam Pontifici* (idest Episcopo) *committente*, ita modo intelligendum est, uti ad ipsum Abbatem vel Praelatum *nullius* Episcopi electio pertineat.

CAN. 323.

§ 1. *Abbas vel Praelatus « nullius » easdem potestates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi.*

§ 2. *Si charactere episcopali non sit ornatus et benedictionem, si eam recipere debet, receperit, praeter alia munera quae in can.* 294 § 2 *describuntur, potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare.*

§ 3. *Quod attinet ad Vicarii Generalis constitutionem, serventur praescripta can.* 366-371.

1. *Abbas vel Praelatus « nullius » easdem* etc. — Itaque, secus ac ante Codicis promulgationem, per hunc canonem omnes potestates ordinarias episcopales *nullius* dioecesis Praesulibus tribuuntur. Nulla prorsus potestas excipitur, dum, si quid excipere Legislator volebat, hic erat excipiendum. Et cum potestate eaedem obligationes atque sanctiones subeundae. Quare, quoad potestatem iurisdictionis, Praesules *nullius* Episcopis residentialibus plenissime aequiparantur. Hinc omnino non intelligimus, quare cl. Baucher (*Dictionnaire de droit can.*, pag. 24-25) quaestioni, an *les abbés « nullius » peuvent-ils convoquer un synode*, respondendum censuerit : *Le Code de droit can. reste muet sur cette question.* Ex adverso videtur nobis Codex hoc in canone satis clare loqui, ea quoque de causa, quod Legislator, qui horum Praesulum potestatem ordinis tanta diligentia definit (cfr. can. 782 § 3, 957, 958 § 4 etc.), ne verbum quidem facit, ut innuat a quo et quomodo in casu et Synodus et examinatores synodales suppleantur (cfr. can. 356-362 et 385-390). Contra, ante Codicem, Praesules *nullius* nec litteras dimissorias ad sacros ordines suscipiendos concedere poterant, nisi ad Episcopum viciniorem (cfr. Gasparri, *De sacra ordinat.*, n. 935-939), nec, sine peculiari privilegio, poterant Synodum convocare proindeque examinatores synodales deputare et concursus paroeciales indicere (cfr. Benedictus Pp. XIV, *De Synodo dioec.*,

l. II, cap. 11). Quae omnia obsoleta esse putamus etiam ex praescripto can. 6 n. 6. Et veniamus ad ordinis potestatem.

2. *Si charactere episcopali non sit ornatus* etc. — Si Praesul *nullius* ornatus fuerit charactere episcopali, etiam quoad potestatem ordinis Episcopo residentiali plenissime aequiparatur. Si vero eo charactere careat, distinguendum est : aut enim ad benedictionem abbatialem recipiendam non tenetur, et tum simul atque sui territorii canonicam possessionem cepit, praeter eam ordinis potestatem quae ex suscepto presbyteratu descendit, gaudet quoque statim omnibus peculiaribus facultatibus, quae in altera huius canonis paragrapho continentur ; aut tenetur ad benedictionem recipiendam, et tum antequam receperit hisce facultatibus minime gaudet, imo si, nullo extante impedimento, benedictionem intra utile tempus (cfr. can. 322 § 2) non receperit, etiam a iurisdictione, ex forte capta possessione officii sibi inhaerente, ipso facto suspensus est (can. 2402). Haec theorice, nam de facto, sicuti Episcopi residentiales post consecrationem, ita semper Praesules *nullius* nonnisi post receptam benedictionem territorii sibi commissi possessionem capiunt. Canonem autem 294, in hac paragrapho citatum, supra exposuimus ; cetera clara. Vix autem advertendum putamus, facultates, de quibus hic agitur, non respicere sacramenta, sed sacramentalia : quae cum sint ecclesiasticae institutionis, Ap. Sedes ea conficiendi atque administrandi facultatem cuilibet presbytero concedere potest.

3. *Quod attinet ad Vicarii Generalis constitutionem*, etc. — Haec postea suo loco explicabuntur. Praesules *nullius*, secus ac Vicarii et Praefecti Ap., cum suum territorium, per modum dioecesis constitutum (cfr. can. 215 § 2), non vicaria, sed propria potestate ordinaria regant, Vicarium generalem, perinde atque Episcopi, deputare possunt ad normam can. 366 et seq.

Can 324.

Capitulum religiosum abbatiae vel praelaturae « nullius » regitur propriis legibus ac constitutionibus ; Capitulum saeculare, iure communi.

Praesules *nullius*, quemadmodum Episcopi residentiales, suam Curiam suumque cathedrale Capitulum habent, cuius consilio aut consensu iisdem in casibus agere tenentur. Haec plana. Ratio autem, quare Legislator de Capitulo, tum hic tum postea can. 326, mentionem facit in eo posita est, quod aliquid sit excipiendum. Et revera hoc in canone Capitulum religiosum excipitur, quia non iure communi regitur, sed propriis ac peculiaribus constitutionibus, religionis naturae consentaneis ; in canone vero 326 iterum Capitulum religiosum excipitur ea de causa, quod in eius defectu eligi non possunt consultores ad normam can. 423-428.

CAN. 325.

Abbas vel Praelatus « nullius », licet charactere episcopali careat, utitur tamen in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno et baldachino et iure ibidem officia divina pontificali ritu celebrandi ; crucem autem pectoralem, annulum cum gemma ac pileolum violaceum potest etiam extra territorium deferre.

Ex canone patet, Praesules *nullius* etiam quoad insignia Episcopis residentialibus aequiparari, idque omnino indipendenter a charactere episcopali, quo quandoque sunt insigniti.

CAN. 326.

Si praelatura saecularis Capitulo careat, eligantur consultores ad normam can. 423-428.

Diximus supra (cfr. comm. ad can. 322 n. 2), abbatiam vel praelaturam *nullius* aut religiosam esse posse aut saecularem. Videtur hic Legislator in verbis *praelatura saecularis*, abbatiam quoque saecularem comprehendere : eadem namque utriusque est iuridica conditio. Contra, si agatur de abbatia aut praelatura religiosa, ad peculiares religionis constitutiones, si quid caveant, vel ad Ap. Sedem recurrendum esse videtur.

CAN. 327.

§ 1. *Abbatia vel praelatura « nullius » vacante, si agatur de abbatia vel praelatura religiosa, succedit Capitulum religiosorum, nisi constitutiones aliud ferant ; si de saeculari, Capitulum canonicorum ; utrumque autem Capitulum intra octiduum debet Vicarium Capitularem deputare ad normam can.* 432 *seqq., qui abbatiam vel praelaturam regat usque ad novi Abbatis vel Praelati electionem.*

§ 2. *Abbatia vel praelatura impedita, servetur praescriptum can.* 429.

Vacante aut impedita abbatia vel praelatura *nullius*, regimen temporarium constituendum est ad normam iuris communis : est nempe, sede vacante, a Capitulo canonicorum vel religiosorum aut a consultoribus dioecesanis (cfr. can. 426 § 5) ac postea a Vicario capitulari ab iisdem deputato assumendum. Unica exceptio datur, non quidem quoad deputationem Vicarii capitularis, sed quoad successionem, quod videlicet Capituli religiosi constitutiones aliud ferant.

Can. 328.

Circa Romani Pontificis Familiares, sive Praelati titulo gaudeant sive non, standum privilegiis, regulis et traditionibus pontificiae Domus.

De Familiaribus huiusmodi nihil ad nos. Eorum officia, quae natura sua aulica sunt, et privilegia bonorifica, praeter antiquiores, qui plus minusve ex professo hac de re egerunt, veluti Moroni (*Dizionario* etc.), Grimaldi (*Les Congregations Romaines*), Lunadoro (*Relaz. della Corte di Roma*), Frezza (*Dei Camerieri segreti*), De Herdt (*Praxis Pontif.*) aliique, erudite explicat A. Trombetta in suo opere *De iuribus et privilegiis Praelatorum Romanae Curiae.*

TITULUS VIII.

DE POTESTATE EPISCOPALI DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT.

Antea vidimus (pag. 8) duplex potissimum esse in Ecclesia subiectum divinitus constitutum potestatis iurisdictionis: R. Pontificem, qui supremam, atque Episcopos, qui simul cum presbyteris et diaconis subordinatam potestatem exercent (cfr. can. 108 § 3). Modo igitur de Episcopis Legislator loquitur, deque iis, qui de eadem participant, quique sunt: Coadiutores et Auxiliares Episcoporum, Synodus atque Curia dioecesana cum suis officialibus, Capitula cathedralia et Consultores dioecesani, Vicarii foranei, parochi eorumque vicarii ac tandem rectores ecclesiarum. Hi omnes, sede plena, de potestate episcopali participant. Quo iure ? Sane divino : nam in primis presbyteri, quibus haec officia fere omnia conferuntur, imo et diaconi (quorum tamen potestas nonnisi ministerialis est), divino iure instituti sunt in auxilium Episcoporum (cfr. comm. ad can. 108 n. 3) non solum quoad ordinis potestatem sed etiam, utique sub Episcoporum auctoritate, quoad potestatem iurisdictionis. Deinde Episcopi titulares, qui in Coadiutores, Auxiliares aut forte in Vicarios generales assumuntur, nonnisi episcopali potestate gaudent, sive *ab homine* habeant sive a iure. Non itaque sunt officiales huiusmodi, sicuti neque Episcopi quoad R. Pontificem, de potestate iure mere ecclesiastico participes. Inde tituli inscriptio.

CAPUT I.

DE EPISCOPIS.

CAN. 329.

§ 1. *Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis.*

§ 2. *Eos libere nominat Romanus Pontifex.*

§ 3. *Si cui collegio concessum sit ius eligendi Episcopum, servetur praescriptum can.* 321.

1. *Episcopi sunt Apostolorum successores* etc. — Apostoli Christi qui, cum canonicam missionem ab eo directe accepissent, vere, uti D. Paulus ait (2 *Cor.* V, 20 et *Ephes.* VI, 20), *pro Christo legatione fungebantur*, et peculiaribus charismatibus et potestate Ecclesias fundandi gaudebant (*Act.* XIV, 22). Ex facto haec omnia constant. Praeterea, ut planum est, fundatas Ecclesias regendi potestate pollebant. Haec potestas, quae ordinaria erat, in Episcopos pertransiit, non aliae, uti etiam ex facto patet, quae erant extra ordinem, idest ob peculiaria rerum adiuncta personaliter concessae. Et hoc sensu sunt Episcopi legitimi Apostolorum successores. Quare a S. Congr. S. Officii (3 iul. 1907) damnata est propositio : *Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam.*

2. *Ex divina institutione* etc. — Est igitur in Episcopis aliquid, quod divino iure consistit. Quidnam ? Sane primum character sacramentalis ex consecratione descendens, per quem nedum Episcopis sacerdotii plenitudo cohaeret, nempe potestas ordinis plenissima, verum etiam, per gratiam sacramenti, peculiaris capacitas ad potestatem iurisdictionis episcopalis in certam universae Ecclesiae partem ordinarie (cfr. comm. ad can. 197 n. 1) exercendam. Deinde ex iure item divino profluit, quod Ecclesia sine Episcopis esse non possit, ita ut prorsus nequeat R. Pontifex Ecclesiam universam, ordinario regimine episcopali sublato, per suos delegatos gubernare. Tertio ex eodem iure descendit, quod tanta esse debeat ordinaria potestas Episcoporum, quanta necessaria est ad plenum regimen suarum Ecclesiarum, saltem in casibus ordinariis, ideoque et legislativa et iudiciaria et coactiva (cfr. can. 335 § 1).

3. *Sub auctoritate Romani Pontificis.* — Scilicet R. Pontificis est efficere, ut subiectum capax potestate episcopali de facto fruatur : unde Episcoporum alii residentiales sunt alii titulares ; ut in hac vel illa Ecclesiae parte potestatem exerceat : unde progressiva praefecturarum ac vicariatuum ap., abbatiarum vel praelaturarum *nullius* ac tandem dioeceseon circumscriptio, nec non Episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum *nullius*, Vicariorum et Praefectorum Ap. nominatio a R. Pontifice perficienda ; ut recte ac intra certos fines potestatem exerceat, ita ut et potestas substantialiter salva sit et utilitas Ecclesiae universae: unde reservationes pontificiae atque Legati Ap.; ut in non recte exercentes, uti opus est, animadvertatur: unde causae Episcoporum eorumque qui Episcopis aequiparati sunt, tum contentiosae tum criminales, Ap. Sedi reservantur; ut, Episcopo negligente vel inhabili eiusve iure resoluto, potestas episcopalis aut quasi-episcopalis suppleatur : unde Metropolitae, Coadiutores atque Auxiliares Episcoporum, Administratores Ap., Capitula cathedralia, sede vacante, ac Vicarii capitulares vel alii eorum loco a iure designati ; tandem ut potestas episcopalis ultra suos fines pertingat, veluti contingit in Conciliis oecumenicis, plenariis, provincialibus. Haec omnia efficere proprium est auctoritatis pontificiae, sine qua, expresse vel tacite interposita, ne intelligi quidem possunt.

4. *Eos libere nominat* etc. — Nativo iure Episcoporum nominatio ad Ap. Sedem spectat. Quod tamen ius per privilegium aut concordatum, per expressum vel tacitum consensum aliis quoque concessum est. Res esset prolixior narrare hic quot modi, ab Ecclesiae primordiis ad nos usque, iure vel iniuria usurpati sint in Episcopis nominandis. Animadvertere sufficiat, post aetatem Apostolicam Episcopi electio peragi solere ab Episcopis comprovincialibus cum clero et populo Ecclesiae vacantis (cfr. S. Cyprianum ep. 52, 55 et 67). A saec. IV Romanorum Pontificum atque Imperatorum quoque christianorum auctoritas interposita. Deinde Patriarchis ac Metropolitis iura quaedam delata sunt: sed varia pro variis regionibus disciplina. A saec. vero XIV Romani Pontifices ius eligendi Capitulis cathedralibus contulere, unde postea variis de causis et paucis casibus exceptis recens praxis exorta est liberae nominationis.

5. *Si cui collegio concessum sit* etc. — Casus huiusmodi excepti vel eligendi ius vel praesentandi aut quomodocumque designandi personam ad episcopatum promovendam respiciunt. De iure praesentandi ac designandi propediem. Iure Episcopum eligendi huc usque usa sunt Capitula cathedralia: *Omolucense* (Czechoslovacchia), *Salisburgense* (Austria), *S. Galli*, *Curiense* et *Basileense* (Helvetia), demum Capitula cathedralia *Borussiae* ac provinciae ecclesiasticae *Rheni superioris* (Germania). Capitula autem huiusmodi in Episcopo eligendo servare tenentur praescriptum can. 321, per quod irrita est electio, nisi peracta fuerit per maioritatem absolutam suffragiorum.

CAN. 330.

Antequam quis in Episcopum assumatur, constare debet, secundum modum a Sede Apostolica determinatum, eum esse idoneum.

Esse idoneum, qui in Episcopum assumitur, saltem quoad qualitates substantiales, quae in § 1 n. 4 canonis seq. recensentur, ex iure divino constare debet. Quare rigidissima est inquisitorii processus instructio. Haec fieri debet iuxta formam ab Ap. Sede determinatam, nempe per seriem interrogationum, quibus testes fide digni respondere tenentur (cfr. Giobbio, *Lezioni di diplom. eccles.*, II, n. 206 et 207). Qui processus intra fines Italiae a Secretaria Status, extra Italiam vero a Nuntiis vel Delegatis Ap. conficitur atque ad S. Congr. Consistorialem transmittitur (*Pii Pp. X* const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908 § 1 n. 2). Peculiaris forma processus inquisitorii, quae, teste Wernz (*Ius decret.* II, n. 751), iam *in Anglia, Hibernia, Belgio, Hollandia aliisque in regionibus, praesertim S. C. de Prop. Fide subiectis* vigebat, paucis abhinc annis (25 iulii 1916) per decr. S. Congr. Consistorialis introducta est in *Status Foederatos Americae septentr.*, per quam formam munus inquirendi ac personas idoneas designandi Episcopis ipsis comprovincialibus defertur (1), salvo iure R. Pontificis inquisitionem complendi per Legatum Ap. Et haec postea forma processus *quippe quae praesentis temporis necessitatibus et congrue respondet et, quantum fieri potest, opportune consulit* (cfr. decr. 19 mart. 1921), eiusdem S. Congregationis decreto 19 mart. 1919, paucis mutatis extensa est ad *Canadam* et insulas *Terrae Novae*; decr. 19 mart. 1921 ad rem publ. *Brasiliensem*; decr. 30 apr. 1921 ad rem publ. *Mexicanam* ac decr. 20 aug. 1921 ad *Poloniam*. Tandem eadem forma designandi, simul cum ecclesiastica hierarchia, in *Australiam* introducta est (cfr. Giobbio, *Lezioni di diplom. eccl.*, II, n. 203). Quocirca animadvertendum est, nullam hasce Episcoporum inquisitiones ac designationes vim iuridicam habere ac proinde nullimode officere liberae nominationi.

(1) Nova inducta forma a Werz-Vidal (*Jus canon.* II, n. 593, nota 95) ita resumitur: *Episcopi cuiusvis provinciae, audita singillatim sententia consultorum dioecesis et parochorum inamovibilium, singulis bienniis unum vel alterum candidatorum nomen quos episcopatu dignos iudicent, ad Metropolitanum mittunt. Deinde iidem Episcopi in coetum coëunt et, cuiusque meritis discussis, secretis suffragiis definiunt quinam tandem illo gradu digni existimandi sint, addito vel minus ordine praelationis. Elenchum conficiunt, quem ad R. Pontificem simul cum actis discussionis deferri curant. Quae omnia sub strictissimo secreto fieri debent. Ex ita designatis suo tempore R. Pontifex ad vacantes Ecclesias deligit.*

Can. 331.

§ 1. *Ut quis idoneus habeatur, debet esse :*

1° *Natus ex legitimo matrimonio, non autem legitimatus etiam per subsequens matrimonium ;*

2° *Annos natus saltem triginta ;*

3° *A quinquennio saltem in sacro presbyteratus ordine constitutus ;*

4° *Bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia, ceterisque dotibus praeditus, quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim de qua agitur ;*

5° *Laurea doctoris vel saltem licentia in sacra theologia aut iure canonico potitus in Athenaeo aliquo vel in Instituto studiorum a Sancta Sede probatis, vel saltem earundem disciplinarum vere peritus ; quod si ad religionem aliquam pertineat, a suis Superioribus maioribus vel similem titulum vel saltem verae peritiae testimonium habeat.*

§ 2. *Etiam electus, praesentatus vel quoquo modo ab illis designatus, qui privilegio a Santa Sede concesso eligendi, praesentandi seu designandi gaudent, debet memoratis qualitatibus pollere.*

§ 3. *Iudicare num quis idoneus sit, ad Apostolicam Sedem unice pertinet.*

1. *Natus ex legitimo matrimonio*, etc. — Sane non debent liberi detrimentum capere ex delictis parentum ; sed quia hic agitur de utilitate publica, cui locum cedant oportet quaelibet privata iura, scilicet quia de facto illegitimi natales in detrimentum sacri ministerii verti possunt, ideo illegitimi a Seminariis arcentur (can. 1363 § 1) ac proinde regulariter ab ordinum receptione (cfr. can. 984 n. 1). Hinc *a fortiori*, si forte ex secuta legitimatione, sollemni professione religiosa aut Principis dispensatione ad sacros ordines admissi fuerint, repelluntur semper ab episcopatu, quamvis fuerint legitimati, sive per decretum Principis sive etiam per subsequens matrimonium. Arcentur igitur nedum spurii, idest adulterini, sacrilegi, incestuosi, nefarii (cfr. Oietti, *Synopsis* v. *Illegitimitas*), sed filii quoque naturales.

2. *Annos natus* etc. — *A quinquennio saltem* etc. — Iure decretalium (c. 7 X *de elect. et electi potest.*, I, 6), *quum in cunctis sacris ordinibus... sint aetatis maturitas, gravitas morum et literarum scientia inquirenda*, cumque *multo fortius in Episcopo haec oporteat inquiri, qui ad curam aliorum positus in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conversari*, inde statutum erat, ut in Episcopum non eligeretur, nisi qui *iam trigesimum annum aetatis exegisset*. Hanc Codex regulam adamussim recepisse videtur : non enim *annos triginta natus* is censeri potest, qui annum trigesimum non expleverit. Cum vero possit quis ad presbyteratum

promoveri post aetatem 24 annorum expletorum iure requisitam (can. 975), hinc aliam Legislator conditionem addit, nempe ut saltem a quinquennio, nempe completo, in sacro presbyteratus ordine constitutus sit, qui in Episcopum est assumendus, cuiuscumque sit aetatis.

3. *Bonis moribus, pietate* etc. — Hae sunt qualitates praecipuae. Neque est praetereundum, duplex in commate qualitatum genus recenseri: primo genericas, quibus nullus Episcopus carere debet; deinde specificas, nempe quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim de qua agitur, et non aliam. Et huiusmodi qualitates cum ad substantiam non pertineant, iure mere ecclesiastico requiri putamus. Sunt tamen perutiles: nam profecto clericus, qui ad parvam aut accessu facilem aut quietam aut levibus implicitam difficultatibus aut ingenio incolarum rudiorem dioecesim regendam idoneus est, non ideo merito idoneus censetur ad regendam dioecesim latissimam aut imperviam aut factionibus exagitatam aut magnis difficultatibus implicitam aut in qua Episcopo sit cum Status moderatoribus, politicis consociationibus, Universitatibus studiorum, academiis bonarum artium frequenter agendum ac proinde de summis rebus decernendum.

4. *Laurea doctoris vel saltem* etc. — Episcopus debet doctrina excellere: sit namque oportet in dioecesi doctor; sed praeterea si doctrina, praesertim iuridica, sufficienter instructus non fuerit, vix poterit, prouti decet Episcopum, inter quotidianas difficultates independenter regere clerum ac populum sibi commissum. Quare, ut idoneus habeatur, debet clericus in Episcopum assumendus suam doctrinam probare sive legitimo diplomate sive per periculum coram examinatoribus ab Ap. Sede designatis faciendum.

5. *Etiam electus, praesentatus* etc. — Sane qualitates huc usque recensitas, non ea de causa Legislator in iure communi inclusas esse voluit, ut Ap. Sedi prodessent: haec namque, cum ad episcopatum clericum libere promovet, quid sibi agendum sit apprime cognoscit, atque omnino esset absonum, in semetipsum Legislatorem legem ferre. Iis igitur statutae sunt qualitates eiusmodi, quorum sit clericum in Episcopum eligere, praesentare vel quomodocumque designare. Quinam autem eligendi privilegio gaudeant quive Episcopum designandi, tamen sine ullo iuridico effectu, supra vidimus (cfr. comm. ad can. 329 n. 5 et 330). Sed praeterea privilegio verae ac genuinae *nominationis* potiebantur, paucis abhinc annis, *Austriae* Imperator (cfr. Concord. 1855 art. 19), *Bavariae* Rex (cfr. Concord. 1817, art. 9), Praeses rei publicae *Galliarum* (cfr. Concord. 1802, art. 4) atque, ex primaeva concessione Benedicti Pp. XIV a. 1740, Rex *Lusitaniae* (cfr. Giobbio, *Lezioni di diplom. eccl.*, II, n. 70-73). Ex mutatis autem rerum adiunctis, nullum horum privilegiorum modo superesse videtur: idque, quoad Austriam ac Bavariam, etiam constat ex declaratione ponti-

ficia, quam postea referemus. Deinde, ante bellum europaeum, iure patronatus ac praesentationis Principes quidam fruebantur, veluti ex concessione Alexandri Pp. VI (1492–1503) et Hadriani Pp. VI (1522-1523), per concordatum 1753 (art. 1) confirmata, *Hispaniae* Reges (ibid. n. 98); item Reges Apostolici *Hungariae* (cfr. concord. 1855); itemque ex brevi Pii Pp. IX *Praeclara inter beneficia* (5 mart. 1876) *Peruviae* Praesides ac tandem Praesides *Venezuelae* (ibid. n. 99, 104 et 106). Denique per concord. a. 1847 (art. 12) Imperatoribus *Russiae* concessum fuerat, ut *designatio Episcoporum pro dioecesibus Imperii Russiarum et Poloniae Regni locum haberet consiliis antea habitis* inter Imperatorem et Sanctam Sedem (cfr. Giobbio, ibid. n. 201). At ius patronatus Hungariae ac Russiae privilegium, post europaeum bellum, extinctum vel saltem suspensum esse videtur, idque tum quia e medio sublati sunt Reges Apostolici atque Russiae Imperatores quibus fuerat concessum; tum ob explicitam Benedicti Pp. XV declarationem in sacro Consistorio 21 nov. 1921 factam: *Nemo est qui ignoret*, ait Pontifex, *post recens immane bellum, vel novas natas esse Respublicas* (veluti Poloniam, Czechoslovachiam, Lithuaniam, Lettoniam, Estoniam, Finlandiam, Albaniam) *vel Respublicas veteres, provinciis sibi adiunctis* (veluti *Italiam* regionibus Julia et Tridentina; *Galliam* Alsatia ac Lotharingia; *Daniam* Schlewig regione; *Romaniam* regione Transilvana; demum *Serbiam* regionibus Bosniae, Herzegovinae, Liburniae sibi adnexis) *crevisse. Iam vero... patet quae privilegia pridem haec Apostolica Sedes, per pactiones sollemnes conventionesque, aliis concesserat, eadem nullo iure posse hasce Respublicas sibi vindicare, cum res inter alios acta neque emolumentum neque praeiudicium ceteris afferat. Item Civitates nonnullas videmus ex hac tanta conversione rerum funditus novatas extitisse* (veluti Russiam, Germaniam ac praesertim Austriam atque Hungariam), *adeo ut quae nunc est, non illa ipsa possit haberi moralis, ut aiunt, persona, quacum Apostolica Sedes olim convenerat. Ex quo illud natura consequitur, ut etiam pacta et conventa, quae inter Apostolicam Sedem et eas Civitates antehac intercesserant, vim iam suam omnem amiserint.* Quo autem animo Ap. Sedes novas conventiones sit initura, argui potest ex can. 1450 § 1, quo cavetur: *Nullum patronatus ius ullo titulo constitui in posterum valide potest.* Scilicet, quantum sinunt humanae vires, actum est, tum privatim tum publice, de iuribus praesentationis, nominationis seu designationis ad beneficia ecclesiastica ex parte laicorum.

6. *Iudicare num quis* etc. — Ex iure naturali, quo Ecclesia gaudet semetipsam servandi, cum *nihil sit, quod Ecclesiae Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur Praelati ad regimen animarum* (c. 44 X *de elect. et electi potest.* I, 6), ad Ap. Sedem, cuius est, ut statim videbimus, electum confirmare aut praesentatum instituere, unice pertinet iudicium ferre de idoneitate ad episcopatum promovendorum.

CAN. 332.

§ 1. *Cuilibet ad episcopatum promovendo, etiam electo, praesentato vel designato a civili quoque Gubernio, necessaria est canonica provisio seu institutio, qua Episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur.*

§ 2. *Ante canonicam institutionem seu provisionem candidatus, praeter fidei professionem de qua in can.* 1406-1408, *iusiurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem edat secundum formulam ab Apostolica Sede probatam.*

1. *Cuilibet ad episcopatum promovendo* etc. — Episcopi, ut supra innuimus, ex divina institutione peculiaribus Ecclesiis praeficiuntur, ita nempe ut nequeat Ecclesia episcopatu carere : id autem fit sub auctoritate R. Pontificis, cuius est et dioeceses erigere et singulis erectis dioecesibus Episcopos singulos praeficere. Breviter, indigent Episcopi, sicut et alii quilibet qui potestate iurisdictionis in Ecclesia gaudent, uno R. Pontifice excepto qui a Deo *immediate* accipit, canonica missione (can. 190) : hac namque missione deficiente, merito populus protestaretur:

Io non so chi tu sie, né per che modo
venuto se' quaggiù (1).

Sed a quo missio ? Proculdubio ab habente potestatem mittendi. Non ideo a laicis, qui, qua tales, nulla in Ecclesia potestate gaudent (can. 118), quamvis utique supremum in populum principatum teneant. Quare Concilium Trid. (sess. XXIII, can. 7): *Si quis dixerit.... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, a. s.* Hinc etiam nostra hac aetate a Pio Pp. IX, 8 dec. 1864, in Syllabum errorum relata est propositio : *Laica auctoritas.. potest ab illis* (idest a clericis ad episcopatum praesentatis) *exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem... accipiant.* Ab auctoritate igitur ecclesiastica, sicut ceteri omnes qui ad aliquod in Ecclesia officium promoventur, canonicam Episcopi missionem habere debent, videlicet aut a R. Pontifice, aut saltem R. Pontifice expresse aut tacite consentiente, prout quandoque contigit temporibus anteactis.

2. *Qua Episcopus vacantis dioecesis* etc. — Itaque haec missio, per quam Episcopus vacantis dioecesis clericus constituitur, generali nomine canonica institutio vocatur, perinde ac si diceretur *in* certam ac determinatam dioecesim *statutio* ; institutio vero clerici electi ac postulati, nomine

---

(1) Quisnam tu sis et quo pacto in hunc locum perveneris, sane nescio (Dante, *Commedia*, I, 33, 10).

peculiari confirmatio atque admissio dicitur. Qua de canonica institutione agentibus nobis, liceat hic afferre vehementia verba, quibus Gregorius Pp. VII (*Epist.* Append. II, 15), ecclesiasticae libertatis acerrimus propugnator, morti proximus, Ecclesiae iura iterum proclamavit : *Quid?* ait Pontifex, *in omnibus terris licet etiam pauperculis mulieribus, suae patriae lege suaque voluntate, virum accipere legitime ; sanctae vero Ecclesiae, quae est sponsa Dei et mater nostra, non licet, secundum impiorum votum et detestabilem consuetudinem* (nempe regiae « investiturae ») *divina lege propriaque voluntate suo sponso legaliter in terris adhaerere? Non enim pati debemus, ut filii sanctae Ecclesiae haereticis, adulteris et invasoribus, quasi patribus, subiiciantur atque ab eis velut adulterina infamia notentur.* Actus autem provisionis seu canonicae institutionis, ut animadvertit Wernz-Vidal (*Jus canon.* II n. 597), *fit generatim in Consistorio secreto. Quoniam autem Consistorii celebratio interdum varias ob causas diutius differtur et sedium vacationem tandiu producere non expedit, satis frequenter in vigente disciplina nominationes expediuntur per Bullam aut Breve et in proximo sequenti Consistorio promotiones iam factae publicantur. Promotionem subsequitur apostolicarum litterarum expeditio.*

3. *Ante canonicam institutionem* etc. — Jusiurandum fidelitatis dandum est ante canonicam institutionem. Tamen Pontificale rom. (tit. *De consecr. electi in Episcopum*) ait : *Si consecratio fit vigore litterarum apostolicarum, per quas etiam iuramenti per electum praestandi receptio Consecratori committitur, litteris ipsis lectis..... electus..... coram Consecratore genuflectit et legit iuramentum de verbo ad verbum.* Et sequitur formula iurisiurandi.

Can. 333.

Nisi legitimo impedimento prohibeatur, promotus ad episcopatum, etiamsi S. R. E. sit Cardinalis, debet intra tres menses a receptis apostolicis litteris, consecrationem suscipere, et intra quatuor ad suam dioecesim pergere, salvo praescripto can. 238, § 2.

Can. 238 § 2 excipit Cardinales suburbicarios, qui, etiam postquam per optionem, a R. Pontifice approbatam, ad sedem suburbicariam promoti sunt (can. 236 § 3), in Curia romana residere tenentur (cfr. comm. ad eund. can.). Hisce igitur exceptis R. Curiae Cardinalibus, ceteri omnes tenentur ad consecrationem, si ea indigeant, recipiendam, sub poena, exceptis iterum Cardinalibus (can. 2227 § 2), amissionis fructuum (si forte iam dioecesis possessionem ceperint) ac ipsius episcopatus (can. 2398); itemque ad pergendum ad suam dioecesim tempore statuto. Quod tamen tempus non continuum est, sed utile.

Can. 334.

§ 1. *Episcopi residentiales sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis.*

§ 2. *In regimen tamen dioecesis neque per se neque per alios, nec ullo sub titulo sese ingerere possunt, nisi prius eiusdem dioecesis possessionem canonice ceperint; sed si ante suam ad episcopatum designationem Vicarii capitulares, officiales, oeconomi fuerint renuntiati, haec officia etiam post designationem retinere et exercere possunt.*

§ 3. *Canonicam dioecesis possessionem capiunt Episcopi residentiales simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario Capituli vel cancellario Curiae, qui rem in acta referat.*

1. *Episcopi residentiales sunt ordinarii* etc. — De Episcoporum potestate ordinaria supra diximus (cfr. comm. ad can. 329 n. 2). Sed Episcopi immediati quoque pastores appellantur in canone. Pastor immediatus est, qui potestatem immediatam, idest nullo alio pastore interposito, in clerum et populum exercere potest. Sunt autem tria genera pastorum, qui huiusmodi ordinaria ac immediata potestate gaudent : scilicet in primis R. Pontifex, cuius potestas et suprema et plenissima est in utroque foro ; deinde Episcopi iique qui Episcopis aequiparantur, quorum potestas substantialiter quidem plena est, nempe principalis (legislativa, iudiciaria, coactiva), sed subordinata, ideoque iuri communi ac multis reservationibus obnoxia ; tandem parochi, quorum potestas et ad forum internum fere restringitur et in hoc quoque foro undequaque subordinata est. Haec de iure. De facto vero R. Pontifex potestatem suam immediatam exercet in iure communi constituendo; in litteris encyclicis clero vel populo vel utrique sive orbis catholici universi sive cuiuscumque eius partis, proponendis ; in decretis ac sententiis iudicialibus ferendis ; in rescriptis concedendis. Eodemque modo, tamen subordinate, immediatam potestatem exercent Episcopi, nempe per suas leges, litteras pastorales etc., nec non per administrationem quorundam sacramentorum. Contra, baptismatis, eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis ac matrimonii administratio, una cum doctrinae christianae explicatione, fere ex toto parochis relinquitur.

2. *In regimen tamen dioecesis* etc. — Ut ea quae antea dicta sunt resumamus, in Episcopis constituendis ita proceditur : in primis locum habet libera R. Pontificis designatio vel ex parte collegii electio aut postulatio vel ex parte civilis Gubernii praesentatio aut nominatio ; deinde ex parte designati fidei professio ac iusiurandum fidelitatis (can. 332, § 2) ; tertio canonica institutio per apostolicas litteras (ibid. § 1) ; tandem, intra tres

menses ab hisce litteris receptis, clerici in Episcopum instituti, qui ea careat, consecratio, et intra quatuor in dioecesim ingressus. Dioecesis vero possessio de qua in canone, quocumque tempore, post receptas ap. litteras canonicae institutionis, capi potest ; sed quatuor mensibus utilibus elapsis capi iam debet. Captio autem possessionis, quae forte ante receptas apostolicas institutionis litteras locum habeat, necessario irrita est ob canonicae missionis defectum (cfr. can. 109), ideoque etiam ob neglectam formam in subsequente paragrapho statutam ; qui vero ceperit, ex can. 2394 § 2, mereri videtur ab officio illegitime occupato depositionem, imo, ex analogia, poenam inhabilitatis in § 1 eiusd. canonis statutam. Easdemque, iuxta eundem canonem, poenas, praeter actuum invaliditatem, mereri quoque videntur Episcopi, qui, ante captam possessionem, quocumque titulo aut modo in regimen dioecesis sese ingesserint. Unus casus excipitur, quo nempe institutus Episcopus Vicarii capitularis aut officialis aut oeconomi munere fungatur in dioecesi ad quam promotus est: tum namque nihil aliud facit, nisi uti titulo antea legitime quaesito ; non tamen egredi potest tituli fines.

3. *Canonicam dioecesis possessionem* etc. — Hac paragrapho continetur forma, qua uti debent Episcopi residentiales in possessione capienda: quae sane forma, sicuti cetera actuum iuridicorum sollemnia, necessaria est ad actus validitatem.

Can. 335.

§ 1. *Jus ipsis et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda.*

§ 2. *Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur ; modus autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur.*

1. *Jus ipsis est et officium* etc. — Episcopi ex divina institutione peculiaribus Ecclesiis praeficiuntur (can 329 § 1) perinde ac R. Pontifex Ecclesiae universae (cfr. Leo Pp. XIII, ep,. encycl. *Cum multa*, 8 dec. 1882). Sunt igitur, quamvis subordinati, tamen veri nominis Principes ecclesiastici, eorumque potestas, uti etiam nuper (23 iun. 1923) declaravit supremum tribunal Ap. Signaturae (cfr. *Jus pontif.* 1924, pag. 9), *praeterquam generalibus Ecclesiae legibus ac peculiaribus R. Pontificum decretis, nullis limitibus circumscribitur.* Hinc potestas episcopalis triplex : legislativa, iudiciaria, coactiva ; quae, secus ac in civili societate contingit, uni Principis personae indivisa cohaeret. Itaque triplex haec potestas ad normam sacrorum canonum exercenda est Episcopis, nempe contra canones exerceri non potest. Ideoque neque possunt Episcopi sua auctoritate permittere et *a fortiori* iubere, quod vetitum: neque vetare et *a fortiori* punire, quod

a sacris canonibus permissum est : nimirum agendum est ipsis aut secundum ius commune, ut facilius applicetur, aut praeter ius commune, ut deficiens suppleatur : quod munus iuris communis defectus supplendi, nobilissima ac veluti propria pars est potestatis legislativae episcopalis.

2. *Leges episcopales statim* etc. — Leges episcopales omnibus legum qualitatibus, quae vel a legis natura defluunt vel a iure positivo constitutae sunt (cfr. comm. ad can. 8-24), ornatae esse debent. Ex eo tamen differunt a legibus pontificiis, quod, nisi aliud in ipsis caveatur, ex iuris communis praescripto vacationis intervallo non gaudent, scilicet statim atque promulgatae sunt obligare incipiunt : plerumque enim ob parvam latitudinem territorii ac praesertim quia facillime nostra hac aetate divulgari possunt, harum legum vacatio fere inutilis evadet. Deinde ex eo etiam differunt, quod dum Ap. Sedes suarum legum promulgandarum modum, sibi metipsi regulariter servandum, constituit (cfr. can. 9), modum leges episcopales promulgandi reliquit prudenti arbitrio Episcoporum. Idque, quia diversissima esse possunt, pro variis populorum moribus, territorii configuratione negotiorumque natura, rerum adiuncta.

CAN. 336.

§ 1. *Observantiam legum ecclesiasticarum Episcopi urgeant; nec in iure communi dispensare possunt, nisi ad normam can.* 81.

§ 2. *Advigilent ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi Dei, sacras indulgentias, implementum piarum voluntatum ; curentque ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur, ut fidelibus, praecipue pueris ac rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur, ut in scholis puerorum ac iuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur.*

§ 3. *Circa praedicationis munus, servetur praescriptum can.* 1327.

1. *Observantiam legum ecclesiasticarum* etc. — Episcopus, a graecis vocibus *Ἐπί-σκοπέω* (considero, inspicio, circumspicio) derivatum, idem est atque inspector. Quocirca Arcadius Charisius (fr. 18 D. L, 4) de civilibus muneribus agens, quorum alia personalia, alia patrimonialia, alia mixta esse dicit, ait : *Item episcopi, qui praesunt pani et ceteris venalibus rebus, quae civitatium populis ad cotidianum victum usui sunt, personalibus muneribus funguntur.* Contra, M. Cicero ad Atticum scribens (VII, 21) eandem vocem politica atque militari significatione usurpat : *Vult*, ait, *me Pompeius esse, quem tota haec Campana et maritima ora habeat Ἐπίσκοπον, ad quem delectus et summa negotii referatur.* Et per hanc alteram significationem in usum Ecclesiae verbum pertransiit. Et re igitur et nomine,

Episcoporum est invigilare, nempe generatim ut leges ecclesiasticae, quantum fieri potest, adamussim serventur, earumque observantiam urgere.

2. *Nec in iure communi dispensare* etc. — Non potest inferior Praelatus in Praelati superioris legibus, quibus et ipsi parendum est, dispensare, nisi quatenus superior Praelatus propter utilitatem publicam facultatem ei fecerit dispensandi. Non igitur per se possunt Episcopi dispensare in iure communi, nisi ad normam can. 81, quo canone casus taxative recensentur, in quibus adesse existimandum est facultatem huiusmodi. Sunt autem casus duo: —1. Si facultas a iure vel *ab homine* concessa fuerit explicite, veluti accidit passim per Codicem de pluribus facultatibus ; aut implicite, veluti cum concessa facultas sine usu facultatum non concessarum exerceri non potest (cfr. can. 66 § 3). — 2. Si ad Ap. Sedem recursus, ob rerum adiuncta, difficilis evadat. Tum vero, ut facultate dispensandi Ordinarius ex dispositione iuris gaudere censeatur, duae conditiones adsint oportet : primum, quod agatur, ut facile patet, de dispensatione quae ab Ap. Sede concedi solet (et non omnia, quae potest, solet Ap. Sedes concedere); deinde, quod sit in mora gravis damni periculum : alias enim potest pontificia dispensatio expectari (cfr. comm. ad can. 81). Hisce igitur positis conditionibus, nulla est lex mere ecclesiastica a qua Ordinarii in casu peculiari, publico bono ita exigente, dispensare non possint.

3. *Advigilent ne abusus* etc. — Hac in paragrapho Legislator quaedam in specie recenset, quae, quoniam vel propter intrinsecam sanctitatem summam animi reverentiam diligentiamque requirunt, vel propter humanam levitatem, iactantiam, auri famem atque ignaviam facilius mente excidunt, peculiarem postulant vigilantiam Episcoporum.

4. *Circa praedicationis munus* etc. — Cavet can. 1327 § 2, officio teneri Episcopos, nisi legitimo impedimento prohibeantur, evangelium per se ipsi praedicandi. *Etenim*, ait Benedictus Pp. XV (litt. encycl. *Humani generis*, 15 iun. 1917), *praedicationis munus, ex Tridentinae Synodi doctrina, « Episcoporum praecipuum est ». Apostoli quidem, quorum in locum successere Episcopi, hoc maxime suarum partium esse duxerunt. Ita Paulus : « Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare ». Ceterorum autem Apostolorum ea fuit sententia : « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis ».* Praeterea vero, ex eadem paragrapho, debent Episcopi, praeter parochos, alios quoque idoneos viros ad munus huiusmodi in auxilium assumere.

Can 337.

§ 1. *Episcopus in tota dioecesi, ne exceptis quidem locis exemptis, potest pontificalia exercere ; non vero extra dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, et, si agatur de ecclesia exempta, de consensu Superioris religiosi.*

§ 2. *Exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram.*

§ 3. *Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi, potest quoque permittere usum throni cum baldachino.*

1. *Episcopus in tota dioecesi* etc. — S. Rituum Congregatio rogata, 6 decembre 1613 respondit, *Episcopum in omnibus suae dioecesis ecclesiis, quantumvis exemptis et privilegiatis, esse honorandum; ..... nec posse prohiberi, quominus in dictis ecclesiis etiam exemptis pontificalia exerceat; imo posse Episcopum contradictores poenis et censuris ecclesiasticis compellere.* Cum igitur in omnibus suae dioecesis ecclesiis sit Episcopus honorandus, neque agatur hic de iurisdictione episcopali exercenda, in locis etiam exemptis potest Episcopus intra suae dioecesis fines, pontificalia peragere. Intra fines suae dioecesis, nam extra dioecesim ratio deficit et ideo tum Ordinarii loci tum Superioris religiosi exempti consensus requiritur. Neque, si agatur de ecclesia exempta sufficit consensus Ordinarii localis: si namque et hac in ecclesia, quae, quamvis Ordinarii iurisdictioni sublata, materialiter tamen intra dioecesis fines existit, dioecesis Praesul est honorandus, erga alienae dioecesis Praesulem nulla Superior religiosus exemptus obligatione tenetur.

2. *Exercere pontificalia in iure est* etc. — Ex hac paragrapho duo per ipsum Legislatorem edocemur: quid in iure intelligatur per verba *exercere pontificalia* et quaenam insignia proprie pontificalia dicantur, nempe baculum pastorale et mitra.

3. *Episcopus, licentiam concedens* etc. — Licentia peragendi pontificalia usum throni, qui peculiari ratione ad Episcopum loci spectat, minime secumfert. Quare specialis licentia requiritur. (Cfr. comm. ad can. 308 c. 1).

CAN. 338.

§ 1. *Etiamsi Episcopi Coadiutorem habeant, tenentur lege personalis in dioecesi residentiae.*

§ 2. *Praeterquam causa visitationis Sacrorum Liminum, Conciliorum quibus interesse debent vel civilis officii suis ecclesiis legitime adiuncti, abesse possunt aequa de causa non ultra duos vel ad summum tres menses intra annum, sive continuos sive intermissos, dummodo cautum sit ne ex ipsorum absentia dioecesis quidquam detrimenti capiat: quod tamen tempus coniungi nequit sive cum tempore sibi concesso occasione suae promotionis, vel visitationis Sacrorum Liminum, vel assistentiae Concilio, sive cum tempore vacationum anni subsequentis.*

§ 3. *Ab ecclesia cathedrali ne absint tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, nisi ex gravi et urgenti causa.*

§ 4. *Si ultra sex menses e dioecesi illegitime abfuerint, Episcopum Metropolita, ad normam can.* 274 *n.* 4, *Metropolitam antiquior Suffraganeus residens Sedi Apostolicae denuntiet.*

1. *Ad universae christianae reipublicae statum*, ait Benedictus PP. XIV (const. *Ad universae*, 3 sept. 1746), *ad ecclesiasticarum legum custodiam et fidelium populorum salutem tam magni refert singulos patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis praepositos, in ipsis ecclesiis vel dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut conciliaribus canonibus atque decretis, aut Apostolicae Sedis constitutionibus et sanctionibus tam saepe tamque impense inculcatum fuerit et commendatum.* Quae obligatio residendi tam evidens erat, sicuti recte animadvertit Wernz-Vidal (*Jus canon.* I, n. 602) qui tamen can. XVI Concilii Nicaeni perperam citare videtur, priorum saeculorum Episcopis, ut usque ad Concilium oecum. Sardicense (a. 343) nulla eiusdem mentio in conciliaribus decretis reperiatur(1). Postea vero res eo sunt progressae, ut Justinianus Aug. (a. 527-565) pluribus suis legibus, in *Novellarum* volumine receptis (cfr. Nov. 6, cap. II; 67, cap. III; 123, cap. IX), *Deo amabilibus Episcopis* suas sedes sine necessitate relinquere atque *in regiam civitatem venire* interdiceret: iis vero qui non paruissent, *ab oeconomis propriae ecclesiae expensas ministrari* vetaret. Et haec quidem Aulae imperialis saepius adeundae libido quae, post restitutum Caroli Magni tempore Imperium, in regionibus quoque occidentalibus desaevire coepit una cum subsequente in uno Episcopo cumulatione beneficiorum, toto medio aevo gravissima vulnera

---

(1) Canonem XIV eiusdem Concilii, ea etiam de causa quod absentiae terminos primum constituit, integre referre praestat: *Osius Episcopus* (nempe Cordubensis, R. Pontificis Legatus, qui et antea Conc. Nicaeno praefuerat) *dixit*: *De Episcopo quoque decernere debetis, qui ex alia civitate convenerit ad aliam civitatem vel ex provincia sua ad aliam provinciam, et, ambitioni magis quam devotioni serviens, voluerit in aliena civitate multo tempore residere. Forte enim eveniet, Episcopum loci non esse tam instructum neque tam doctum: is vero qui advenit incipiat contemnere eum et frequenter facere sermonem, ut dehonestet et infirmet illius personam, ita ut ex hac occasione non dubitet relinquere assignatam sibi ecclesiam et transeat ad alienam. Definite ergo tempus, quia et non recipi Episcopum inhumanum est, et, si diutius resideat in alieno, perniciosum. Hoc ne fiat providendum est. Memini autem superiore Concilio* (nempe Eliberitano, a. 300) *fratres nostros constituisse, ut si laicus, in ea qua commorabatur civitate, tres dominicos dies, idest tres septimanas, non celebrasset conventum, communione privaretur. Si ergo haec circa laicos constituta sunt, multo magis Episcopum nec decet nec licet, si nulla sit tam gravis necessitas quae detineat, ut amplius a supra scripto tempore absens sit ab ecclesia sua. Universi autem dixerunt, id sibi placere* (cfr. Cabassutium, *Notitia ecclesiast.* etc. ed. II Lugdun. p. 142).

intulit ecclesiasticae disciplinae, estque lex residentiae plane neglecta. Inde Romanorum Pontificum plurima decreta atque sanctiones; inde tandem Conc. Tridentini decretum, ut Ap. Sedes in Episcopos huiusmodi rigidissime animadverteret ac *ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus provideret* (sess. VI, *de reform.* c. 1), necnon ut actum esset de cumulatione beneficiorum (sess. VII, *de reform.* cap. 2 et 4).

2. *Etiamsi Episcopi Coadiutorem habeant*, etc. — Coadiutor vel Episcopo prorsus inhabili datur vel saltem ex parte habili ad dioecesim regendam; quod si inhabili omnino Episcopo datus fuerit, omnia Coadiutor iura atque officia episcopalia habet (can. 351, § 2). Teneturne etiamtum Episcopus residentiae lege? Non videtur, cum prorsus tum deficiat ratio residendi, casus huiusmodi in praescripto huius paragraphi comprehendi; sed nullus alius casus excipi potest. Nomine autem residentiae canonicae intelligimus assiduam proprii officii gestionem eo in loco, ubi ex iuris aut hominis praescripto peragenda est: verbum namque a *sedere* derivasse videtur; sedere autem dicebantur magistratus, dum officium suum implebant, unde Plinius (I ep. 10): *sedere pro tribunali*; et Cicero (I *Orat.* 57 et alibi): *nobis in tribunali... sedentibus;* vel*si quis quaereret, sedissent ne iudices in C. Fabricium....* Et inde etiam is *sedulus*, nempe sedens assidue, appellatur, qui est in implendo officio diligens atque accuratus. Et hinc labor in conceptu residentiae canonicae. Quare qui, in loco praesens, officium suum negligit, recte censetur non residere.

3. *Praeterquam causa visitationis* etc. — Tempus in visitatione sacrorum Liminum, itemque in Conciliis celebrandis insumendum diversum est, nedum pro distantia Urbis ac loci, ubi Concilium provinciale, plenarium, oecumenicum celebratur, a civitate episcopali, sed etiam pro mole negotiorum atque Concilii duratione. Civile officium cum officio episcopali alicubi legitime coniunctum plerumque est munus Senatoris legibus ferendis: quod munus et ipsum plus minusve temporis pro circumstantiarum varietate requirit et, secus ac de sacrorum Liminum visitatione ac Conciliorum celebratione postea videbimus aut antea vidimus, obeun(dum est quotannis cfr. comm. ad can. 139 n. 8).

4. *Abesse possunt aequa de causa* etc. — Bimestris aut trimestris vacatio a Conc. Tridentino primum concessa est. Unde postea Benedictus Pp. XIV (const. *Ad universae*, 3 sept. 1746), postquam causas canonicas (nempe christianam caritatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam atque Ecclesiae vel rei publicae utilitatem) recensuit, ob quas causas Episcopis a dioecesi abesse liceret, subdit: *Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem sacrosancta Synodus* (videlicet Tridentina) *perpendisset, ex veterum canonum sententia minime abesse videri eos qui aliquantisper absunt et statim sunt reversuri, omnibus Ecclesiarum Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent, singulis annis ultra duos aut*

tres ad summum menses, sive continuos sive interruptos, extra proprias dioeceses commorari.

5. *Dummodo cautum sit* etc. — Attamen facultati e dioecesi discedendi, nonnullae conditiones adiectae sunt. Nimirum, praetermissa conditione, quippe quae fere nunquam practice deerit, ut Episcopi vacationes capere non possint nisi aequa de causa, veluti ad salutem instaurandam vel ad animum curis gravatum aliquantisper relaxandum, altera conditio est, ne quicquam dioecesis ex eorum absentia detrimenti capiat. Quidquam : nempe damnum alicuius momenti ; ex ipsorum absentia, idest ita, ut prudenter coniectari possit, ipsis praesentibus damnum non futurum. Tertia conditio est, ut tempus absentiae, quodcumque tandem illud sit, cum tempore sibi a iure concesso occasione promotionis ad episcopatum, visitationis sacrorum Liminum, assistentiae Concilio neve cum vacationibus subsequentis anni coniungatur. Idque, ut facile patet, ne diutius dioecesis pastore careat. Quarta denique conditio in hoc posita est, quod toto tempore Adventus et Quadragesimae ac praeterea *diebus* (et videtur hoc verbum, ex Conc. Tridentino – sess. XXIII, c. 1 – desumptum, sollemniorem diem, quo Episcopis est pontificaliter celebrandum aut sollemnem processionem peragendam, non duos sequentes aut octavam significare) Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, nedum in dioecesi, sed, extra gravem et urgentem causam, etiam apud ecclesiam cathedralem, nempe in episcopali palatio, resideant.

6. *Si ultra sex menses*, etc. — Facultatem per duos aut tres menses, sive continuos sive intermissos, extra dioecesim quotannis commorandi Episcopi residentiales habent a iure : tempus autem huiusmodi prorogare legitime nequeunt sine causa canonica et consensu Ap. Sedis (cfr. Benedicti Pp. XIV const. *Ad universae*, 3 sept. 1746, § 10). Quod si ultra sex menses, nempe praeter menses tres a iure concessos, e dioecesi illegitime abfuerint, Ap. Sedi denuntiandi sunt, quae, ut iustum visum fuerit, animadvertet. Tum vero Episcopus illegitime abesse videtur, cum abest contra huius canonis praescriptum, sive absit tempore vetito ; sive cum gravi dioecesis detrimento ; sive coniungendo tempora quae coniungere non oportet ; sive tandem Ap. Sede, cum opus fuerit, non interpellata et, quod peius est, sine causa canonica, cum haec requiritur. Sed, ante quamcumque poenam *ab homine* inflictam, Episcopus illegitime absens, ad normam can. 2381 § 1, pro rata illegitimae absentiae privatur facto ipso omnibus fructibus sui beneficii : quod namque hic canon omnes cuiusvis dignitatis beneficiarios comprehendat, patet ex fonte a qua desumptus est, nempe Conc. Tridentini sess. VI *de reform.* c. 1.

CAN. 339.

§ 1. *Debent quoque, post captam sedis possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare.*

§ 2. *In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicent.*

§ 3. *Si festum ita transferatur ut in die « ad quem » non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die « ad quem » ; secus in die « a quo ».*

§ 4. *Episcopus Missam pro populo diebus supra indicatis per se ipse applicare debet ; si ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium ; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die.*

§ 5. *Licet Episcopus duas vel plures dioeceses aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso.*

§ 6. *Episcopus, qui obligationi de qua in superioribus paragraphis non satisfecerit, quam citius pro populo tot applicet Missas, quot omisit.*

1. *Debent quoque* etc. — Alia Episcoporum residentialium obligatio in applicatione Missae pro populo sibi commisso consistit. *Omnis Pontifex*, ait D. Paulus (*Hebr.* V, 1 et 3), *pro hominibus constituitur... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.... Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita et pro semetipso offerre pro peccatis.* Ideo etiam pro populo sibi commisso sacrificium, Missae nempe, Episcopus offerre debet. Unde Conc. Tridentinum (sess. XXIII *de reform.*, cap. 1): *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre ... sacrosancta Synodus eos admonet* etc. Est igitur Missae pro populo applicandae obligatio, quae nedum parochos, vicarios oeconomos etc., sed, et *a fortiori*, Episcopos residentiales iisdemque iure aequiparatos gravat, iuris divini naturalis: a qua proinde nulla consuetudo (can. 27 § 1), nulla praescriptio (can. 1509 § 1) eximere potest ; imo et nulla causa, ne exiguitas quidem redituum vel ipsius (cfr. S. Congr. Conc., 10 maii 1692) congruae carentia. Hac autem obligatione Episcopi tenentur statim ac, sive per se sive per procuratorem (et ideo etiamsi nondum in dioecesim fuerint ingressi), sedis possessionem ceperint.

2. *Omnibus dominicis aliisque festis diebus* etc. — Decernere autem quandonam divinum huiusmodi praeceptum esset servandum ad Ap.

Sedis potestatem pertinebat, quae de facto decrevit, Missam pro populo applicari oportere omnibus dominicis ac festis diebus, etiam suppressis. Attamen, cum pro varia temporum circumvolutione, maior aut minor festorum numerus possit in dies dominicos incidere, constans non est numerus dierum, quibus Missa pro populo applicanda est. Utcumque, diebus dominicis transmissis, festa ex praecepto vigentis iuris servanda in can. 1247 decem tantummodo recensentur, neque amplius tenet, iuxta responsionem Pont. Commissionis 17 febr. 1918 datam, consuetudo contraria, quamvis centenaria (cfr. *Jus pontif.* 1921, pag. 8). Festa vero ex constit. *Universa* (13 sept. 1642), per quam Urbanus Pp. VIII de integro hanc materiam ordinaverat, de praecepto servanda ac postea, usque ad promulgationem Codicis, paullatim suppressa, viginti et sex sunt, nempe: Feria prima ac secunda post festum Paschae et Pentecostes; festum Inventionis S. Crucis; Purificationis, Annunciationis ac Nativitatis Deiparae; Dedicationis S. Michaëlis Arch.; Nativitatis S. Joannis Bapt.; Sanctorum Apostolorum Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi et Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae atque Matthiae; S. Stephani Protom.; Sanctorum Innocentium; S. Laurentii Mart.; S. Silvestri Pont. Conf.; S. Annae; S. Patroni Regni ac denique S. Patroni loci (cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1920, pag. 43 et *Jus pontif.* 1921, pag. 6).

3. *In festo Nativitatis Domini* etc. — Trium Missarum, quae in festo Nativitatis Domini celebrari possunt, itemque si quod festum de praecepto, sive vigens sive suppressum, in diem dominicum inciderit (ita ut et ratione festi et ratione dominici diei Missa pro populo applicanda videatur) sufficit ut una Missa applicetur: idque ex iure positivo Ecclesiae, cuius est, ut supra diximus, divinum pro populo applicandi praeceptum, quemadmodum implendum sit positive determinare.

4. *Episcopus Missam pro populo* etc. — Tria in obligatione pro populo applicandi continentur: ut Missa applicetur; ut applicetur statutis diebus; ut personaliter applicetur. Quoad primum, nulla relaxatio a iure communi conceditur, ita ut, ad normam paragraphi sextae huius canonis, semper sit integer numerus Missarum, ad normam paragraphi primae determinatus, pro populo applicandus. Quare? Agitur proculdubio de lege positiva ecclesiastica, sed haec interpretationem et applicationem continet legis divinae naturalis. Quamvis igitur possit in ea Ap. Sedes aliquatenus dispensare, peculiarem tamen gravitatem secumfert. Tenetque eos, qui populum sibi commissum habent, ex iustitia (S. Congr. de Prop. Fide, 23 mart. 1863, ad I): simulatque enim officium, cum quo cura animarum, proprio nomine exercenda, necessario coniuncta est, acceptaverunt, liquet eos obligasse sese ad omnes pastoris partes implendas, quarum Missae pro populo applicatio nobilissima est; quod si non nomine

proprio, sed alterius vice officium gerant, ut de missionum Praesulibus supra demonstravimus (cfr. comm. ad can. 293 n. 1), tum lex neque ex iustitia eos tenet neque ex caritate, sed tantummodo, si forte Codex teneri decreverit, ex obedientia (utique in iure naturali atque in caritatis praecepto quodammodo fundata), quae Legislatori semper debetur, tum quoque cum legem fert mere positivam. Quoad secundum, nempe ut Missa applicetur statutis diebus, haec lex praevalet alteri de personali applicatione, ita ut, si Episcopus statuto die legitime impeditus fuerit quominus per se ipse Missam applicet, eodem die applicare teneatur per alium. Tandem, si neque id praestare possit, quam primum alio die per se vel per alium Missam applicare tenetur.

CAN. 340.

§ 1. *Omnes Episcopi tenentur singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici facere super statu dioecesis sibi commissae secundum formulam ab Apostolica Sede datam.*

§ 2. *Quinquennia sunt fixa et communia, atque computantur a die I ianuarii* 1911 *; in primo quinquennii anno relationem exhibere debent Episcopi Italiae, insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae et aliarum minorum adiacentium ; in altero, Episcopi Hispaniae, Portugalliae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus; in tertio, ceteri Europae Episcopi cum insulis adiacentibus; in quarto, Episcopi totius Americae et insularum adiacentium; in quinto, Episcopi Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.*

§ 3. *Si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest.*

1. *Omnes Episcopi tenentur* etc. — Sicut Episcopi peculiares dioeceses, ita R. Pontifex ordinariapote state Ecclesiam regit universam: sed illi quidem potestate subordinata, hic suprema. Inde *a remotissima Ecclesiae aetate*, ait S. Congr. Consistorialis (decr. 31 dec. 1909), *repetenda lex et consuetudo est, qua singuli Episcopi, statis temporibus Urbem petant, ut sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina venerentur suaeque statum dioecesis exponant Ap. Sedi : cuius rei illustria monumenta veteres Ecclesiae annales suppeditant.* De visitatione sacrorum Liminum propediem: modo de obligatione Episcoporum relationem exhibendi videamus. Quae relatio et oralis et scripta esse debet. Relatio scripta, secundum formulam a S. Congr. Consistoriali supra allato decreto adnexam, confici debet ac eidem Congregationi exhiberi. Relatio oralis coram R. Pontifice summatim facienda est: utrumque singulis quinquenniis, occasione visitationis sacrorum Liminum.

2. *Quinquennia sunt fixa* etc. — Veterem hac de re disciplinam, quae quoad Episcopos quidem Xisti Pp. V const. *Romanus Pontifex* (20 dec. 1585), quoad Abbates vero ac Praelatos *nullius* const. Benedicti XIV *Quod sancta* antea regebatur, per supra allatum decretum S. Congr. Consistorialis Ap. Sedes, *effectis hodie multo facilioribus ac tutioribus dioeceses inter et Sanctam Sedem commerciis*, immutavit per novam disciplinam quae in Codicem adamussim recepta est. Sunt igitur ad relationem exhibendam quinquennia statuta, eaque fixa, pluribus orbis partibus communia atque ab initio anni 1911 computanda, ita ut intra primum quinquennium obligatio teneat Episcopos Italiae ; intra alterum, Europae occidentalis ; intra tertium, Europae centralis atque orientalis ; intra quartum, Americae; intra quintum, Africae, Asiae et Australiae : simul vero Episcopos insularum cuique regioni iuxta geographicam distributionem propius adiacentium. Quocirca quaerere quis posset, cuinam regioni adscribendae sint insulae oceani Pacifici : putamus autem hasce insulas merito ita in duos ordines per circulum meridianum 160 W. Greenwich distribui posse, ut quae ad eius lineae occidentem vergunt, Asiae atque Australiae ; quae vero ad orientem solem, Americae sint adscribendae. Spatio igitur quinque annorum, de sua cuiusque dioecesi aut quasi-dioecesi Ordinariis omnibus coram R. Pontifice referendum est ; quem mirum religionis causa universi quodammodo orbis ad Urbem adventum considerantibus nobis, mentem tangunt Leonis M. verba (*Serm.* I *in nat. App. Petri et Pauli*) : *Veruntamen hodierna festivitas... speciali et propria nostrae Urbis exultatione veneranda est... Isti enim sunt viri, per quos tibi evangelium Christi, Roma, resplenduit... Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut.... per sacram beati Petri sedem caput Orbis affecta, latius praesideres religione divina quam dominatione terrena. Quamvis enim, multis aucta victoriis, ius imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit !*

3. *Si annus pro exhibenda* etc. — Contingere potest, ut intra fines eius anni, in quo, ad normam praecedentis paragraphi, Episcopo esset relatio exhibenda, nondum transactum sit vel compleatur biennium a die, quo iuxta can. 333, ad suam dioecesim primum perrexit : tum vero, quoniam tam exiguo temporis spatio non censetur Episcopus dioecesis statum satis cognitum habere, abstinere potest pro ea vice a relatione exhibenda atque ideo, ad normam canonis subsequentis, ab Urbe adeunda.

Can. 341.

§ 1. *Omnes et singuli Episcopi eo anno quo relationem exhibere tenentur, ad Urbem, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi, accedant et Romano Pontifici se sistant.*

§ 2. *Sed Episcopis qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, idest singulis decenniis Urbem petant.*

Canon continet praeceptum visitationis sacrorum Liminum, quae, salvo praescripto can. 340 § 3, peragenda est, ab Episcopis quidem Europaeis quolibet quinquennio, a ceteris vero quolibet decennio : dum, contra, relatio quolibet quinquennio ab omnibus, salvo canone de quo supra, exhibenda vel transmittenda est.

Can. 342.

Episcopus debet praedictae obligationi satisfacere per se vel per Coadiutorem, si quem habeat, aut, ex iustis causis a Sancta Sede probandis, per idoneum sacerdotem qui in eiusdem Episcopi dioecesi resideat.

Itaque ad Coadiutorem sibi substituendum nulla peculiaris causa requiritur, nam evidenter sufficit causa ob quam Coadiutor Episcopo datus est (cfr. can. 351 § 2 et 353 § 3). Contra, iustae causae requiruntur, ut Episcopus hac in re agere possit per procuratorem. Quae causae variae esse possunt ; neque opus est eas recenseri, cum nihil valeant, nisi antea uti iustae habitae fuerint ab Ap. Sede. Debetque esse procurator, ad munus explendum personalibus qualitatibus idoneus, ac insuper de statu dioecesis sufficienter instructus : quare in procuratorem institui non potest, qui in dioecesi non resideat.

Can. 343.

§ 1. *Ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda, tenentur Episcopi obligatione visitandae quotannis dioecesis vel ex toto vel ex parte, ita ut saltem singulis quinquenniis universam vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium Generalem aliumve lustrent.*

§ 2. *Fas est Episcopo clericos duos etiam e Capitulo sive cathedrali sive collegiali sibi adsciscere visitationis comites atque adiutores ; eosque quos maluerit eligere, reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine.*

§ 3. *Si obligationi, de qua in* § 1, *Episcopus graviter defuerit, servetur praescriptum can.* 274, *n.* 4, 5.

1. *Si de visitandis ab Episcopo parochiis*, ait Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.* P. II, l. III, c. 77, n. 7), *altum sit fere apud antiquissima Concilia sanctissimosque Patres silentium aut rarus de iis sermo per tria vel quatuor priora saecula, id ex eo forsan fit, quod rarissimae prioribus saeculis*

fuerint parochiae ruris. Cum inter exordia christianae rei non alia fuerit cuiusque dioeceseos ecclesia quam cathedralis, in eam unam Episcopus curas suas omnes conferebat. At ubi pax Ecclesiae per Constantinum obtigit et christiani nominis coloniae per evangelicos praecones satoresque verbi disseminari in agros, villas vicosque coepere, Episcopis quoque curae fuit studia sua iam dividere et partiri, ut communis caritatis sinu novas has Christi gregis accessiones complecterentur. Quod quidem inde etiam luculenter patet, quod, ut idem auctor refert (ibid. n. 17), Africae proconsularis Episcopis in visitanda dioecesi diligentibus suffragaretur adversus negligentes territorialis quaedam praescriptio: *Placuit*, aiunt Patres Conc. II Milevitani (a. 416), *ut quicumque negligunt loca ad suam Cathedralem pertinentia in catholicam unitatem lucrari, conveniantur a diligentibus vicinis Episcopis, uti id agere non morentur. Quod si intra sex menses a die conventionis non fecerint, qui potuerit ea lucrari ad ipsum pertineant.* Praxis autem annalis visitationis a Conc. Tarraconensi, a. 516 habito, primum in legem conversa esse videtur, quod Concilium decrevit *ut antiquae consuetudinis ordo servetur et annis singulis ab Episcopo dioeceses visitentur* (c.10,C.X,q.1). Introductis Archidiaconis, nimis eorum opera in dioecesibus visitandis Episcopi uti coepere; quare Concilia plura eorundem Archidiaconorum hac in re potestatem minuerunt ac tandem Conc. Tridentinum (sess. XXIV, *de reform.*, c. 3.) praecepit, ut *Episcopi propriam dioecesim per seipsos aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant.* Quod temporis spatium per Codicem nostrum ad quinquennium protractum est.

2. *Ad sanam et orthodoxam doctrinam* etc. — Habes igitur primum in hac paragrapho descriptum finem visitationi dioeceseos a iure praestitutum. Quocirca referre praestat quaedam Pii Pp. IX (ep. *Quo graviora*, 8 iul. 1862) verba: *Cum autem*, ait Pontifex, *ad spirituale dioecesium bonum procurandum earumque mala advertenda Pastorum oculi magnam vim habere soleant, idcirco, Venerabiles Fratres, ne omittatis vestras dioeceses accurate invisere et cleri populique mores sedulo agnoscere atque omni diligentia et studio quae corrigenda sunt emendare et convellere et flagitia, si quae sint, eliminare pravasque amputare consuetudines peccandique occasiones tollere et ubique locorum christianam institutionem et sacramentorum usum, quo nihil christiano populo est salubrius, promovere et dierum festorum cultum ac templorum reverentiam inculcare et clerum ad propria officia sedulo obeunda excitare et populum ad omnes christianas exercendas virtutes inflammare. Atque episcopali, uti par est, fortitudine iis omnibus resistite, quae contra Ecclesiam eiusque veneranda iura et leges impune patrantur..... Nihil praetermittite, Venerabiles Fratres, quod ad ministerium vestrum diligenter implendum*

quovis modo pertinet, ne quando gravissimis illis verbis vos Dominus exprobret : « Quod infirmum fuit non consolidastis, quod aegrotum non sanastis, quod confractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis et quod perierat non quaesistis ! » Deinde, ut finis huiusmodi assequi possint, obligantur Episcopi ad dioecesim universam lustrandam intra fines cuiusque quinquennii. Quod si per se ipsi id praestare nequeant, quia impediti (ex causa nempe tanto muneri impediendo proportionata), per alium agere possunt, videlicet per Coadiutorem aut Auxiliarem, si quem habeant (cfr. can. 351 § 2 et 3) ; per Vicarium generalem, si non habeant (cfr. can. 366 § 1 et 368 § 1) ; per alium idoneum ecclesiasticum virum, si careant utroque ; quamvis namque nulla positiva lege ad Vicarium generalem hac in re praeferendum Episcopus adigatur, summopere tamen id decet, tum propter eius in universam dioecesim potestatem ordinariam, tum propter singularem idoneitatem, ex qualitatibus in Vicario generali a iure praerequisitis nec non ex ipsius officii gestione defluentem. Quare Legislator unius Vicarii generalis expressam mentionem facit.

3. *Fas est Episcopo clericos duos* etc. — In peragenda visitatione dioecesis facultas est Episcopo clericos duos, quos maluerit, nemine videlicet excepto cuiusvis sit dignitatis dummodo Episcopi subdito, eligendi tanquam visitationis comites atque adiutores. Et legi adiicitur clausula *reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine :* in quam clausulam cum hic primum incidamus, cumque eam postea in Codice explicando non semel obviam habituri simus, in eius vi definienda nonnihil immorari placet. In primis igitur videamus de clausula *reprobata contraria consuetudine* (cfr. etiam can. 346, 396 § 2, 403, 409 § 2, 418 § 1, 433 § 1, 455 § 1, 460 § 2, 774 § 1, 818, 978 § 3, 1006 § 5, 1041, 1056, 1181, 1356 § 1, 1408, 1492 §1, 1525 § 1, 1576 § 1). Iam vero statim liquet, hanc clausulam et quamcumque consuetudinem legi contrariam, quamvis centenariam aut immemorabilem, ante promulgationem Codicis forte introductam e medio tollere et, quominus, post hac introducatur, impedire. Quare : 1) quaelibet consuetudo *iuris* omnem vim obligandi post Codicem amisit ; 2) praeterea communitas consuetudine huiusmodi amplius uti non potest et, si utatur, illegitime utitur estque actus et illicitus et invalidus ; 3) consuetudo *facti* superstes debet et ipsa ab Ordinariis auferri tanquam corruptela (can. 5) ; 4) neque possunt Ordinarii permittere, uti denuo reviviscat (ibid.) et consequenter ; 5) nunquam poterit talis consuetudo legitime praescribi. Haec certa. Quid autem si agatur de iuribus ante Codicem praescriptioni obnoxiis (cfr. can. 1509) et contra legem non quidem consuetudo sed praescriptio legitime peracta obiiciatur ? Videtur nobis nulla in casu praescriptio iure obiici posse, videlicet per clausulam supra allatam auferri quoque iura per praescriptionem antea quaesita (cfr. can. 4), saltem a persona morali quae simul sit communitas ecclesiasticae consuetu-

dinis capax, quam tantum respicere potest consuetudinis reprobatio. Huiusque sententiae ratio duplex est : 1) quod, si ita non esset, clausula reprobatoria nonnullis in casibus inutilis evaderet, cum, sublata consuetudine semper obiici posset praescriptio et inde finis a Legislatore tum intentus nempe veteris iuris corrigendi, omnino frustrari ; 2) quod reprobatio, quoad consuetudinis effectus post Codicem ex iure antiquo defluentes, habet vim retroactivam, per quam quilibet eius titulus et obligandi et existendi perimitur (can. 5) : aliis verbis vis eversiva reprobationis pertingit usque ad imas radices possessionis, quae, re attente considerata, videtur nobis tum consuetudinis tum praescriptionis substantiale esse elementum, ac proinde totum utriusque processum, tanquam iuris corruptelam (ibid.), et afficit et irritat. Neque videtur difficultatem facere clausula prolixior uni can. 1492 adiecta, nempe *reprobata contraria consuetudine, etiamsi* ius contra legem quaesitum *fundatione, praescriptione aut privilegio apostolico* innitatur, quasi ex eo facta hic sit praescriptionis mentio, quod in reprobatione consuetudinis implicita non esset : siquidem non pauci sunt in Codice loci, in quibus Legislator additionibus pleonasticis utitur, idque ea fortasse de causa, vel quod is modus dicendi esset, ita dicam, consecratus in antiquis decretalibus, vel quod vellet mentem suam in peculiari casu plenius aperire. Et veniamus ad alteram clausulam, nempe *reprobato* (cfr. etiam can. 774 § 1) vel *revocato* (cfr. can. 403, 460 § 2, 519, 522, 654, 876 § 1, 964 § 1 et 4, 1267, 1356 § 1, 1576 § 1), *sublato* (cfr. can. 544 § 2), *non obstante* (cfr. can. 1157) *quocumque contrario privilegio*. Quocirca haec sunt animadvertenda : 1) clausulam non comprehendere privilegia concessa ab Ordinariis R. Pontifice inferioribus, nam, ut haec revocata censeantur, non opus est clausula revocatoria, cum contrarietas iuris communis sufficiat : unde Legislator, in can. 4, nonnisi de privilegiis apostolicis mentionem facit ; 2) posse privilegium acquiri non solum per directam R. Pontificis concessionem vel per communicationem, sed etiam per legitimam consuetudinem aut praescriptionem (can. 63 § 1) ; 3) sicuti consuetudinum quaedam simpliciter supprimuntur (cfr. can. 5) quaedam vero reprobantur (cfr. canones supra allatos de revocatis consuetudinibus), ita et privilegia quandoque revocari per clausulam *revocato* etc. vel per clausulam aequipollentem *sublato* etc. aut *non obstante* etc., quandoque autem reprobari per clausulam *reprobato* etc. Quibus praelibatis, haec nobis videntur tenenda : 1) clausulam *revocato* etc. vel aequipollentem non comprehendere nisi privilegia ab Ap. Sede concessa, sive per directam concessionem sive per communicationem tum in forma aeque principali (cfr. can. 64) tum in forma accessoria (cfr. can. 65), de quibus mentio fit in can. 4, non autem privilegia per consuetudinem aut praescriptionem quaesita, quae proinde, si ante Codicem quaesita fuerint, minime tanguntur et per se, eadem via, post Codicem acquiri possunt : non enim per factum

Principis, sed per subditorum factum quaesita sunt; 2) clausulam vero *reprobato* etc., iisdem de causis quas supra attulimus cum de reprobata consuetudine loqueremur, e medio tollere non solum privilegia ab Ap. Sede directe vel indirecte concessa, sed etiam per consuetudinem, quamvis centenariam aut immemorabilem, vel per praescriptionem ante Codicem contra novam legem quaesita, ac simul efficere, ut non amplius possint hisce ultimis modis in posterum acquiri : sicut namque privilegium per consuetudinem contra legem quaesitum, nihil aliud est quam consuetudo ipsa contra legem introducta, ita quaesitum per praescriptionem nihil est aliud quam ius, ante Codicem forte praescriptioni obnoxium (cfr. can. 1509), contra legem simul atque tertiam personam legitime praescriptum ; iam vero vis eversiva reprobationis, ut antea vidimus, ad radices possessionis, quae tum consuetudinis tum praescriptionis substantiale elementum est, usque pertingit. Qua de causa actum quoque est, hoc in casu, de possessione centenaria vel immemorabili contra novam legem, quae, ad normam can. 63 § 2, inducit praesumptionem concessi privilegii, vel, uti S. Rota libenter ait, cuiuscumque tituli utilioris ad ius controversum probandum. Sed ad canonem redeamus.

4. *Si obligationi de qua* etc. — Can. 274 n. 4 et 5 praescribit, posse Metropolitam in dioecesibus suffraganeis vigilare ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur ac de abusibus R. Pontificem certiorem facere ; itemque canonicam visitationem paragere, causa prius ab Ap. Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit (cfr. comm. ad eund. can.).

Can. 344.

§ 1. *Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia, quamvis exempta, quae intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam.*

§ 2. *Religiosos autem exemptos Episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis.*

1. *Ordinariae episcopali visitationi* etc. — Visitationis canonicae obiectum sunt primum personae, veluti clerici, moniales, confraternitates, illi qui docent in scholis, ceteri subditi; deinde res, veluti vasa sacra, altaria, reliquiae atque imagines Sanctorum, sacra suppellex, pia legata, bona temporalia ; denique loca, veluti ecclesiae, coemeteria, Seminaria, pia loca, scholae.

2. *Quamvis exempta..... nisi probari possit* etc. — Agitur hic de hospitalibus, orphanotrophiis aliisque similibus institutis ad opera religionis vel caritatis, sive spiritualis sive temporalis, destinatis (cfr. can. 1489 § 1)

ac de ceteris locis, qui ex lege fundationis aut ex praescriptione vel apostolico privilegio (cfr. can. 1492) exempta sunt a iurisdictione Ordinariorum localium. Nimirum canon decernit, ius huiusmodi exemptionis a iurisdictione non secumferre ius exemptionis a canonica visitatione : quare, ut pium institutum vel locus a visitatione exemptus censeatur, speciale apostolicum privilegium requiritur ideoque praescriptio non datur (cfr. can. 1509 n. 2) ; imo, cum Ordinarius hac in re habeat, intra fines suae dioeceseos, intentionem in iure fundatam, huiusmodi privilegium adesse non censetur, nisi peremptoriis argumentis probatum fuerit. Quod speciale privilegium, quoad privatum sacellum, Cardinalibus quidem expresse (can. 239 § 1 n. 18), Nuntiis vero Internuntiis ac Delegatis Ap., cum in ipsarum dioeceseon statum advigilandi ius et officium habeant (can. 267 § 1 n. 2 et § 2), implicite ex iure ipso competit.

3. *Religiosos autem exemptos* etc. — Generalis exemptio, quae piis institutis atque locis contra ius episcopalis visitationis non suffragatur, suffragatur religiosis : sunt nanque religiosis exemptis qui, Episcopi loco, ad visitationem peragendam ex iure teneantur, nempe Superiores maiores. Non igitur subiiciuntur visitationi Ordinariorum localium, nisi in casibus propter utilitatem publicam a iure expresse statutis. Supra autem recensuimus casus a iure expressos, in quibus religiosi Ordinariis locorum plus minusve subduntur (cfr. comm. ad can. 296 n. 2), etiamsi regulares aut ex privilegio exempti. Iam vero, cum in omnibus, in quibus religiosi exempti stricte subsunt Ordinario loci, possint ab eodem poenis ecclesiasticis coërceri (can. 619), inde arguimus posse quoque,quod minus est, visitari, saltem quoad ea quae visitationem canonicam patiuntur, (cfr. ex. c. can. 512 § 2, n. 1 et 2).

Can. 345.

Visitator, in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, debet paterna forma procedere, et ab eius praeceptis ac decretis datur recursus in devolutivo tantum ; in aliis vero causis, etiam tempore visitationis, Episcopus ad normam iuris procedat necesse est.

1. *Visitator, in iis quae obiectum*, etc. — Supra vidimus quaenam obiectum (cfr. can. 344) et finem (cfr. can. 343 § 1) visitationis potissimum respiciant. Jam vero hisce in rebus non potest Episcopus visitationem peragens iudicium instituere, sed paterna forma procedere debet, nam aliter visitatio nunquam absolveretur. Quae paterna procedendi forma lenitatem quoque secumfert in poenis irrogandis : scilicet canonicae praesertim visitationi applicandum est illud Conc. Tridentini (Sess. XIII, *de reform.* c. I): *Illi* (nempe Episcopi)... *se pastores, non percussores esse meminerint.* Ab Episcoporum autem praeceptis ac decretis in sacra visitatione

latis datur recursus in devolutivo tantum, nempe ad eam S. Congregationem Curiae Romanae, quae competens fuerit circa materiam controversam. Et cum recursus concedatur in devolutivo tantum, ita scilicet ut praecepti vel decreti effectus non suspendat, nullus terminus a iure statuitur ad recursum exhibendum (cfr. S. Congr. Concilii, 12 ian. 1924).

2. *In aliis vero causis*, etc. — Contra, si de causis agatur, quae ad visitationis obiectum et finem nullimode spectant, veluti ex. c. de causis contentiosis, bona vel iura ecclesiastica respicientibus, ad tribunal episcopale tempore visitationis delatis, debet Episcopus ordinarium processum instituere. Tum vero contra eius sententiam definitivam, intra decendium, datur appellatio ad tribunal secundae instantiae de quo in can. 1594 § 1-3.

CAN. 346.

Studeant Episcopi debita cum diligentia, sine inutilibus tamen moris, pastoralem visitationem absolvere: caveant, ne superfluis sumptibus cuiquam graves onerosive sint, neve ratione visitationis ipsi aut quisquam suorum pro se suisve dona quodvis genus petant aut accipiant, reprobata quavis contraria consuetudine; circa vero victualia sibi suisque ministranda vel procurationes et expensas itineris, servetur legitima locorum consuetudo.

1. *Studeant Episcopi*, etc. — Visitatio canonica, nempe inspectio an ea quae eius finem seu obiectum respiciunt ad normam iuris procedant, diligens sit oportet, ita ut nihil consideratione dignum Episcopi vigilantiam effugiat. Sunt tamen inutiles morae itemque superflui sumptus, qui scilicet ad honestam vitae rationem necessarii non sunt, vitandi, ne iis sit Episcopus onerosus, quorum agendi rationem inspicere debet.

2. *Neve ratione visitationis*, etc. — Dona cuiusvis generis in visitatione petere aut sponte oblata accipere, vetitum est, tum Episcopo tum iis qui eum ratione visitationis comitantur. Et, qua iuris corruptela, contraria consuetudo reproba tur (cfr. comm. ad can. 343 n. 3). Contra, legitimae locorum consuetudinis ratio habenda est quoad victualia, procurationes atque itineris expensas. Procurationem in subiecta materia ita describit De Angelis (*Praelect. iur. can.* II, p. 267): *Praestatio eorum, quae Episcopo aliisve Praelatis actualem visitationem obeuntibus cum notario et decente comitatu sunt necessaria ad competentem victum et habitationem, ab iis quos visitant praestanda.* Iuxta ius igitur ante Codicem vigens, victualia quoque procuratio complectebatur. Legislator vero maluit de victualibus singillatim loqui, idque ea fortasse de causa, quod non ubique eodem modo de facto procuratio intelligitur. Itaque, quamvis ex antiqua disciplina neque ad expensas itineris, vel saltem ad vecturas subministrandas (Clemens Pp. XIV, ep.encycl. *Decet quam maxime*,

21 sept. 1769 § 30); neque ad praestandam procurationem, si deessent expensae, veluti in visitandis suburbiis aut locis, ubi Episcopus per aliquod anni tempus habitualiter resideret (S. Congr. Concilii, 5 iun. 1637 et 17 nov. 1685); imo neque in ceteris casibus, nisi post annum ab ultima visitatione transactum (ead. Congr., 16 ian. 1723 et 1 iun. 1737), visitati tenerentur, dareturque tum optio inter res vel numeratam pecuniam subministrandam (Clemens Pp. XIV, l. c.), et quidem dimidiatam, si alius quam Episcopus visitationem perageret (S. Congr. Concilii, 23 iul. 1708), haec omnia et cetera quaecumque, expensas visitationis respicientia, legitimae consuetudini definienda relinquuntur. Quarum tamen procurationum, quaecumque eae sint, iuri Episcopus, ne successoribus praeiudicium afferat, renuntiare non potest, quamvis utique possit procurationi peculiari sibi debitae (cfr. Maschat, *Instit. canon.*, III, p. 285): tum enim iuri suo tantummodo renuntiat.

Can. 347.

In suo territorio Episcopus praecedit omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis Cardinalibus, Legatis Pontificiis et proprio Metropolita; extra territorium serventur normae traditae in can. 106.

Recensio personarum exceptarum est taxativa: quare censendum est, hic Legislatorem per verbum *Archiepiscopis* Patriarchas quoque (latinos) et Primates, extra propriam provinciam degentes, comprehendisse. Canonem autem 106 in vol. II explicavimus.

Can. 348.

§ 1. *Episcopi titulares nullam possunt exercere potestatem in sua dioecesi, cuius nec possessionem capiunt.*

§ 2. *Decet ex caritate, citra tamen obligationem, ut aliquando Missae sacrificium pro sua dioecesi applicent.*

Hactenus de constitutione, potestate, iuribus, privilegiis atque obligationibus Episcoporum residentialium: hoc autem canone, et quam brevissime, de Episcopis « titularibus ». Itaque Episcopi huiusmodi *ideo*, ait Leo Pp. XIII (litt. apost. *In suprema*, 10 iun. 1882), *a Romano Pontifice titulo decorantur Ecclesiarum Cathedralium, quae olim florentes, nunc clero populoque catholico destituuntur, ne scilicet antiqua earum dignitas et memoria penitus deleatur.* Quocirca canon loquitur de *dioecesi sua*, cuius tamen *nec possessionem capiunt.* Et ex hisce duobus elementis exurgit figura iuridica Episcopi titularis. Scilicet dioecesis, cuius titulo decorantur, ad

eos pertinet eodem plane modo, quo pertinet ad Episcopum residentialem dioecesis, cuius nondum possessionem cepit ; attamen, cum nunquam suae dioecesis Episcopi titulares possessionem capiant et ideo clerum et populum nunquam habituri sint, in quos potestatem episcopalem exerceant, inde ex hoc titulo potestate, iuribus, privilegiis atque obligationibus quae, post captam possessionem, propria sunt Episcoporum residentialium penitus carent, etsi ex alio titulo eadem habere possint, veluti si aliquam dioecesim in administrationem a R. Pontifice obtinuerint (cfr. can. 312) ; vel etiam altiorem potestatem exercere, veluti si Ap. Sedis Legati renuntiati fuerint (cfr. can. 267). Sed, quamvis Episcopi titulares (quia ex mero titulo, idest nomine tantum non re, suae dioecesis Episcopi sunt) nulla erga eam dioecesim obligatione teneantur, nihilominus decet, ait Legislator, ut aliquando Missae sacrificium pro sua dioecesi applicent, nempe, *ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem* (Leo Pp. XIII, l. c.). Decet, inquit ; tamen citra obligationem : scilicet nullum praeceptum ac proinde nulla obligatio, neque gravis, neque levis, neque ex iustitia, neque ex caritate, neque ex positiva voluntate Legislatoris legi inest, sed consilium tantum quod sane Episcopi titulares, de facto sin de iure, pro sua caritate sequentur.

CAN. 349.

§ 1. *Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, Episcopi sive residentiales sive titulares :*

1. *Praeter alia privilegia quae suis in titulis recensentur, fruuntur privilegiis de quibus in can.* 239, § 1, *nn.* 7-12 ; *nec non n.* 2, *etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos ; n.* 3, *cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci : n.* 4, *dummodo non teneantur celebrare in cathedrali ; nn.* 5, 6, *ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis ;*

2. *Ius habent deferendi insignia episcopalia ad normam legum liturgicarum.*

§ 2. *A capta vero possessione Episcopi residentiales habent praeterea ius :*

1. *Percipiendi reditus mensae episcopalis ;*

2. *Concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis ;*

3. *Elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino.*

1. *Ab accepta authentica notitia*, etc. — Canon cum praecedente stricte connectitur : in aperto namque ponit differentiam, quae interest inter iura quaedam atque privilegia Episcopi titularis ac residentialis. Post acceptam notitiam canonicae provisionis usque ad captam possessionem dioece-

sis, sunt Episcopi omnes, sin quoad iura (habet namque Episcopus, ad dioecesim residentialem promotus, ius ad rem possidendam, quo caret Episcopus promotus, ad dioecesim titularem), tamen quoad privilegia pares: quare, sub hoc respectu, non immerito omnes titulares esse dixeris. Tum vero, praeter alia privilegia quae passim per Codicem recensentur, fruuntur etiam, sive pure sive aliquibus servatis conditionibus, pluribus privilegiis, quibus ex can. 239 gaudent S. R. E. Cardinales. Nimirum pure fruuntur privilegiis, quae nn. 7-12 eius canonis recensentur (cfr. comm. ad can. 239 n. 7-12). Praeterea autem conditionate fruuntur privilegiis, quae nn. 3-6 eiusdem canonis continentur, videlicet: 1) ex n. 3, possunt ubique verbum Dei praedicare, tamen *cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci*; 2) ex n. 4, possunt celebrare vel alii permittere ut unam Missam coram se celebret in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini, *dummodo* tamen *non teneantur celebrare in cathedrali*, quod quidem, uti liquet, post captam tantum dioecesis possessionem contingere potest; 3) ex n. 5-6, possunt ubique benedicere, cum omnibus indulgentiis ab Ap. Sede concedi solitis, rosaria aliasque coronas deprecatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia eaque imponendi sine onere inscriptionis; itemque erigere in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes *Viae Crucis*, etc.: tamen non solo crucis signo aut unica benedictione, sed *ritibus ab Ecclesia praescriptis* ac insuper personaliter, cum neutra facultas sit ab Episcopis delegabilis (S. Poenitent., 18 iul. 1919). Deinde fruuntur Episcopi, eo plane modo quo S. R. E. Cardinales, privilegio quod continetur n. 2 commemorati canonis: possunt nempe sibi suisque familiaribus eligere sacerdotem confessionibus excipiendis, qui facto ipso iurisdictionem, si ea careat, obtinet, nedum quod spectat ad peccata, et censuras Ap. Sedi simpliciter aut speciali modo reservatas, verum *etiam quod spectat ad casus reservatos Ordinario loci* (cfr. comm. ad can. 239 n. 2-6). Demum ius habent deferendi insignia episcopalia, nempe vestes, pileolum ac biretum violacei coloris, crucem pectoralem, anulum gemmatum, mitram, baculum pastorale ac vestes pontificales (cfr. S. Congr. Rituum, 26 nov. 1919). Haec tamen ad normam legum liturgicarum, quae usum crucis pectoralis, anuli, baculi et vestium pontificalium ante consecrationem interdicunt.

2. *A capta vero possessione*, etc. — Post captam possessionem Episcopi residentiales, praeter privilegia huc usque recensita quae titularibus quoque competunt, ius habent percipiendi reditus mensae episcopalis; concedendi indulgentias 50 dierum et elevandi in omnibus ecclesiis, etiam exemptis (cfr. comm. ad can. 337 n. 1), thronum cum baldachino et consequenter (cfr. S. Congr. Rituum, 26 nov. 1919, III, ad 2^{um}) utendi cappa magna.

3. Cessat autem officium episcopale iis omnibus modis, quibus in genere cessare potest officium ecclesiasticum (cfr. comm. ad can. 183, n. 2).

CAPUT II.

DE COADIUTORIBUS ET AUXILIARIIS EPISCOPORUM.

CAN. 350.

§ 1. *Unius Romani Pontificis est Episcopo Coadiutorem constituere.*

§ 2. *Coadiutor dari solet personae Episcopi cum iure successionis; sed nonnunquam datur quoque sedi.*

§ 3. *Coadiutor, datus personae Episcopi sine iure successionis, speciali nomine dicitur « Auxiliaris ».*

1. Contingere potest ut Episcopus propter morbum, senectutem, molem negotiorum, solis suis viribus impar sit muneri adimplendo; vel etiam ut alia de causa, veluti in ornamentum cardinalitiae dignitatis, laborum socium ei adiungere opportunum videatur: tum vero Episcopo coadiutor constituitur. Praxim huiusmodi usque a priscis Ecclesiae temporibus introductam reperimus. Et revera, *cum haud raro*, ait Wernz (*Jus decretal* II, n. 809), *clerici aetate iam provecti ad officium Episcoporum promoverentur, facile accidit, ut Episcopus senio morbisque confectus suo muneri non iam solus plene satisfacere posset. Porro Ecclesia, pro suo principio etiam nunc retento « afflicto afflictio non est addenda », non eo procedere consuevit, ut Episcopum aegrotum et debilitatum a suo officio invitum removeret, sed eidem potius cooperatorem quendam constituit.* Eius autem praxis prima certa vestigia occurrunt saeculo III ineunte. Narrat enim Eusebius (*Hist. eccl.* l. VII, cap. 11), Narcissum Episcopum Hierosolymitanum, cum esset 116 annorum, Alexandrum Ep. a. 212 in Coadiutorem sibi adiunxisse. Quod si postea (a. 325) Conc. oecum. Nicaenum I (can. 8) sanxit, *ne in civitate* (nempe eadem) *duo sint Episcopi*, id minime contra dicere visum est praxi Coadiutorem constituendi: nam post idem Concilium et S. Gregorium († a. 390) patris sui Episcopi Nazianzeni, et S. Basilium Magnum († a. 379) Eusebii Episcopi Cesareensis, et praesertim S. Augustinum († a. 430) Valeri Hipponensis Episcopi Coadiutores fuisse constat. Idque iure factum esse videtur, nam *formidans*, ait Possidius (*De vita August.* c. 8), *idem venerabilis senex* (nempe Valerius Episcopus Hipponensis) *et sciens se corpore et aetate infirmissimum, egit secretis litteris apud Primatem Episcopum sedis Carthaginiensis... obsecrans ut Hipponensi Ecclesiae ordinaretur Episcopus, qui suae cathedrae « non tam succederet », sed consacerdos accederet Augustinus. Quae igitur beatus Valerius optavit et rogavit, rescripto impetravit.* Non itaque ab Ap. Sede Coadiutores tum constituebantur: qui cum ita instituerentur, ut coadiuto

Episcopo in officio succederent, inde, ad ambitus notam atque fraudes vitandas, renitentia Conciliorum. Omnes difficultates praecidit Bonifacius Pp. VIII, qui primus expresse decrevit (c. un. *de cler. aegrot. vel debilit.*, III, 5 in VI), ut constitutio Coadiutoris, sive temporarii sive perpetui, cum iure successionis, Ap. Sedi reservaretur. Postea tandem recepta est regula, quod coadiutores in beneficiis, quicumque ii essent et exceptis tantummodo coadiutores parochorum, ab una Ap. Sede constituerentur : quae regula in Codicem (can. 1433) pertransiit.

2. *Unius Romani Pontificis est* etc. — Coadiutor aut sedi datur aut Episcopi personae ; quod si personae Episcopi, aut datur cum iure successionis aut minus et tum *Episcopus Auxiliaris* dicitur. Jam vero prima fronte videtur constitutio Coadiutoris cum futura successione, ad R. Pontificem tum tantum, salva institutione canonica, pertinere, cum sedes episcopalis est liberae collationis. Coadiutori namque *nunc pro tunc*, idest cum vacaverit, beneficium ipsum episcopale confertur. Quare ii, quibus iure competit Episcopum eligere, designare aut praesentare ad normam can. 329 § 3 et 331 § 2, ius habere videntur eligendi quoque, designandi aut praesentandi Coadiutorem huiusmodi. Et revera, anteactis praesertim temporibus, adversus liberam hac in re R. Pontificis collationem acriter dimicarunt civilia Gubernia, Episcopos praesentandi aut designandi iure per concordatum aucta. Sed perperam omnino : nam Ap. Sedes, cuius summa est fides in conventionibus perficiendis, omnibus modis semper significavit, numquam se hac de re convenire aut id per privilegium concedere solere, nisi eiusdem rei expressa mentio facta fuerit. Quare, cum aliena semper fuerit voluntas contrahentis aut concedentis, libera in casu collatio merito sustinetur (cfr. Giobbio, *Lezioni di diplomazia ecclesiastica*, II, n. 387).

CAN. 351.

§ 1. *Jura Coadiutoris dati personae Episcopi desumantur ex litteris apostolicis, quibus constituitur.*

§ 2. *Nisi aliud in his litteris caveatur, Coadiutor qui datur Episcopo prorsus inhabili, habet omnia iura ac officia episcopalia ; ceteri tantum possunt quantum Episcopus eisdem commiserit.*

§ 3. *Quae Coadiutor potest et vult exercere, Episcopus habitualiter alii ne deleget.*

§ 4. *Coadiutor, iusto impedimento non detentus, debet, quoties fuerit a Coadiuto requisitus, pontificalia et alias functiones obire, ad quas Episcopus ipse teneretur.*

1. *Jura Coadiutoris dati personae* etc. — Coadiutorum episcopalium potestas atque obligationes in primis desumendae sunt ex litteris aposto-

licis quibus constituuntur : siquidem varia esse possunt rerum adiuncta, quorum omnium R. Pontifex in constituendo Coadiutore rationem habet. Quocirca praetermittendum non est, eam Coadiutoris potestatem, quae vel ex litteris apostolicis defluit vel ex iure communi, esse pontificiam ; quae vero a Coadiuto delegatur, episcopalem : quare dum haec est in coadiuti Episcopi arbitrio, illa a nemine minui aut impediri potest.

2. *Nisi aliud in his litteris caveatur*, etc. — Nisi igitur quicquam contrarium in litteris apostolicis statuatur, potestas atque obligationes tum Coadiutoris tum Episcopi coadiuti demetiendae sunt ex iis, quae hoc in capite sequuntur. Et primum distinguendum est inter Coadiutorem, qui datur Episcopo prorsus inhabili et Coadiutorem qui habili, saltem ex parte, Episcopo datur : ille plenam atque ordinariam a iure potestatem habet cum omnibus episcopalibus obligationibus, Missa tamen pro populo excepta (cfr. can. 475 § 2), quae Episcopum coadiutum gravat ; hic, contra, sive sedi datus fuerit sive Episcopi personae, nullam habet a iure iurisdictionis potestatem, sed eam tantummodo, quam ei Episcopus delegaverit. Sed vicissim Coadiutus obligatione tenetur alteri habitualiter non delegandi, quae Coadiutor potest et vult exercere. Quae vult, inquam : videlicet, nisi causa rationabilis obstiterit ; cum enim Coadiutor ideo constituatur, ut Episcopo auxilium praestet quoad omnia quae Episcopus per se ipse agere non potest, et quoties Episcopus eius auxilium postulaverit, merito postulasse praesumatur, non potest Coadiutor sine causa auxilium suum denegare. Excipiendae tantummodo sunt, ex voluntate expressa Legislatoris, eae functiones, ad quas Episcopus ipse non teneretur : uni namque Episcopo, non aliis, auxilium suum Coadiutor praestare debet.

CAN. 352.

Coadiutor sedi datus potest in territorio ea quae sunt ordinis episcopalis exercere, excepta sacra ordinatione ; aliis in rebus tantum potest, quantum eidem a Sancta Sede vel ab Episcopo fuerit commissum.

Praeterquam Episcopi personae, Coadiutor quandoque maioribus quibusdam dioecesibus ex instituto datur : tum vero, ut antea innuimus, sedi dari dicitur. Idque semper fit, peculiaribus suadentibus circumstantiis, cum agitur de Episcopo integro quidem viribus , sed negotiorum multitudine gravato. Quare nulla ei iure communi potestas iurisdictionis defertur, sed ordinis tantummodo, nempe ad ea quae sunt ordinis episcopalis obeunda, veluti sacramenti confirmationis administrationem ; sacrorum oleorum, ecclesiarum, altarium, vasorum consecrationem ; excepta tamen, propter eius praestantiam, sacra ordinatione, quam Coadiutor ex Episcopi delegatione tantum peragere potest. Quod si haec potestas solummodo

in territorio concessa dicitur, id vi muneris intelligendum est, ita ut etiam extra territorium, si legitime absit et Ordinarii loci consensus accedat, eadem agere non prohibeatur. Aliis in rebus, nempe ad potestatem iurisdictionis pertinentibus, tantum potest quantum eidem fuerit ab Episcopo per delegationem commissum.

Can. 353.

§ 1. *Quilibet Coadiutor, ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est litteras apostolicas ostendat Episcopo.*

§ 2. *Coadiutor cum futura successione et Coadiutor sedi datus debent praeterea easdem ostendere Capitulo ad normam can.* 334 § 3.

§ 3. *Si Episcopus eum in statum inciderit ut eliciendi actus humani sit impos, praetermisso praescripto* § 1, *solum praescriptum* § 2 *ab omnibus Coadiutoribus servetur.*

Actus canonicae provisionis perfectus non censetur, nisi officii possessio accesserit, eo fere modo quo iure civili Romanorum sine possessione rerum dominium non transferebatur. Ideo etiam Coadiutoribus est officii possessio capienda. Sed forma capiendae possessionis diversa est pro diversitate circumstantiarum ac genere Coadiutorum. Et imprimis Coadiutor Auxiliaris, cum et personae Episcopi detur et eius munus vitam Episcopi non excedat, canonicam possessionem capit, litteras apostolicas suae constitutionis eidem ostendendo ; quod si forte Episcopum repererit actus humani incapacem, litteras Capitulo ostendat necesse est, perinde ac si Administrator Ap. esset constitutus (cfr. can. 313 et comm. ad can. 334 n. 3). Eademque forma, ad canonicam officii possessionem rite capiendam, uti debent Coadiutor cum iure successionis aut sedi datus : qui tamen, quoniam eorum potestas vitam Episcopi excedit, semper tenentur, etiamsi integer viribus Episcopus sit, litteras apostolicas Capitulo quoque exhibere, utpote collegio, cui regimen dioecesis, iure Episcopi resoluto, legitime devolvitur.

Can. 354.

Coadiutor quilibet obligatione tenetur, sicut Episcopus, residendi in dioecesi, e qua, extra tempus vacationum ad normam can. 338, *ipsi non licet, nisi ad breve tempus, Coadiuto permittente, discedere.*

Coadiutores, qui, quoad exercitium potestatis episcopalis, quasi ad complendam Episcopi personam constituuntur, ad residendi obligationem quod attinet, eodem atque Episcopi iure censentur (cfr. comm. ad can. 338);

sed praeterea, cum a coadiuto Episcopo (nisi hic sit prorsus inhabilis et salvis dispositionibus litterarum apostolicarum) quoad muneris sui implementum dependeant, ut extra trimestre tempus vacationum e dioecesi, etsi ad breve tempus, discedere possint, indigent Coadiuti consensu.

Can. 355.

§ 1. *Coadiutor cum iure successionis, vacante sede episcopali, statim evadit Ordinarius dioecesis, pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit, ad normam can.* 353.

§ 2. *Cum Episcopi munere expirat Auxiliaris officium, nisi aliud in litteris apostolicis caveatur.*

§ 3. *Si Coadiutor datus fuerit sedi, eius officium etiam sede vacante perdurat.*

Resoluto iure Coadiuti, Coadiutor cum iure successionis datus, facto ipso eius dioecesis Episcopus evadit ; vi nempe litterarum suae constitutionis, quibus *tum pro nunc* beneficium ei episcopale conferebatur, ius ad rem quod habebat in ius in re pertransit, dummodo tamen officii sibi per eas litteras delati legitimam possessionem ceperit; alias, veluti si forte ante captam ab eo possessionem Episcopus obierit, nulla fit (cum desit subiectum aptum) potestatis translatio et tum Coadiutori designato tum Capitulo cathedrali, quod interim succedit in regimine, Ap. Sedis placitum expectandum est : nam, resoluto iure Episcopi coadiuvandi, inutilis evadit constitutio Coadiutoris, quae per litteras apostolicas potissimum intendebatur. Etiam officium Coadiutoris, qui sedi datus fuerit, sede vacante perdurat, proculdubio, nisi aliter in litteris ap. caveatur, cum potestate Vicarii capitularis (cfr. can. 315 § 2 n. 1), qui tum a Capitulo cathedrali deputari non potest (can. 431 § 1) : siquidem potestas Coadiutoris huiusmodi, cum sedi inhaereat, per se Coadiuti personam eo usque transcendit, quo ex Ap. Sedis placitis intercipiatur. Tandem Auxiliaris Officium, ob contrarias rationes, cum Episcopi munere expirat.

CAPUT III.

DE SYNODO DIOECESANA.

Can. 356.

§ 1. *In singulis dioecesibus celebranda est decimo saltem quoque anno dioecesana Synodus, in qua de iis tantum agendum quae ad particulares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur.*

§ 2. *Si Episcopus plures dioeceses aeque principaliter unitas regat, aut unam habeat in titulum, alteram aliasve in perpetuam administrationem, potest unam tantum dioecesanam Synodum ex omnibus dioecesibus convocare.*

1. Cum clerus dioeceseon una cum Episcopo apud ecclesiam cathedralem commorabatur, nulla erat necessitas Synodum dioecesanam cogendi, cum *presbyterium* semper praesto esset, ut Episcopum suo consilio adiuvaret. Tum igitur Synodi cogi coeperunt, cum clerum rurale constitutum est. Quod quidem non utique uno tempore contigit. Tamen, Synodos dioecesanas omnium esse antiquissimas, non immerito tenet Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.*, P. II, l. III, c. 75, n. 1): *Non sane dignitate inter Synodos*, ait, *at certe antiquitate praestare videntur ea, quae dioecesanae dicuntur. Necdum procellae persecutionum detumuerant eoque necdum fas erat Episcopos provinciae convenire, necdum forsan metropoleon discrimina a iure satis explorata aut constituta erant, cum facillime posset iam inde ab initio Episcopus quilibet clerum suum congregare.* Prima Synodus dioecesana, cuius extet memoria, habita est, teste Hefele (*Concilien-Geschichte*, t. II, p. 103, 107 sq.), a. 411 a Synnesio Episcopo Ptolemaidis in Pentapoli ; prima vero, cuius acta supersint, est Synodus Antisiodorensis (Auxerre), a. 578 iuxta Cabassutium (*Notitia eccl. hist. Concilior.* etc., p. 270) celebrata (cfr. Thomassin, l. cit. c. 73 n. 4). Ex quibus actibus edocemur, omnia cuiusque generis negotia ad dioecesis regimen spectantia, hisce in Synodis eo tempore peragi solere. Sed postquam Concilia provincialia celebrari coeperunt (cfr. comm. ad can. 281 n. 1), publicatio decretorum, quae ab hisce Conciliis lata erant, principem in Synodis dioecesanis, uti res ipsa postulare videbatur, locum obtinuit. Eamque praxim a. 633 a Conc. Tolentano IV (can. 26) praeceptam iam reperimus ac postea in legem universalem translatam per can. 6 Conc. oecum. Lateranensis IV (a. 1215), quo cautum est, ut *canonicae regulae* (nempe in Conciliis provincialibus quotannis coactis confectae) *publicarentur in episcopalibus Synodis annuatim per singulas dioeceses celebrandis.* Itaque annalis quoque Synodorum dioecesanorum celebratio pro universa Ecclesia praecepta est in Conc. Lateranensi IV : sed praxis antiquissima erat, cum in ipsa Synodo Antisiodorensi, de qua supra locuti sumus, cautum sit, ut *medio maio omnes presbyteri ad Synodum in civitatem* (nempe episcopalem) *veniant.* Quam quidem postea regulam a Conc. Basileensi (a. 1431) ita confirmatam esse constat (sess. 15), ut haberetur Synodus dioecesana *ad minus semel in anno, ubi non est consuetudo bis annuatim celebrari.* Conc. Tridentinum (sess. XXIV, *de reform.*, cap. 2) hanc regulam iterum sanxit ac simul, quod clarius definivit quinam Synodo dioecesanae interesse deberent, verum etiam, ut Wernz (*Jus decretal.*, II, *n.* 858) ait, *non leviter auxit dignitatem et auctoritatem Synodorum dioecesanarum*, facultatem iis faciens indices

(sess. XXV, *de reform.*, c. 2) atque examinatores synodales (sess. XXIV, *de reform.*, c. 18) designandi. In schematibus autem Conc. Vaticani triennalem celebrationem propositam reperimus ; quam tandem Codex, circumstantiarum aetatis nostrae habita ratione, ad decennium produxit.

2. *In singulis dioecesibus* etc. — Hac in paragrapho Synodi dioecesanae natura et competentia breviter attinguntur. Scilicet, nomine Synodi dioecesanae venit clericorum ad normam iuris congregatio, ideo ab Episcopo legitime convocata ut, eo praesidente, per suffragia consultiva dioecesis necessitatibus atque utilitatibus prospiciat. Synodi vero competentia, si illius obiectum spectemus, ea tantummodo comprehendit, quae ad peculiares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur, videlicet, uti habet Wernz (l. c. n. 865) *ad vitia coërcenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, ecclesiasticam disciplinam aut restaurandam aut fovendam, Episcopus in decretis synodalibus media necessaria et utilia.... praescribere potest.* Praeterea in Synodo dioecesana constituendi sunt, Episcopo proponente ac Synodo approbante, examinatores atque iudices synodales ac parochi consultores (can. 385 § 1 et 1574 § 1 et 2) ; eleemosynam dioecesanam Missarum manualium definienda (can. 831 § 1) ac tandem discutiendi casus ab Episcopo in dioecesi reservandi (can. 895). Si vero spectemus limites potestatis, Synodi dioecesanae competentia iisdem finibus continetur atque competentia Episcopi, qui, ad normam can. 362, unicus est in Synodo legislator et actibus synodalibus unus ipse subscribit. Scilicet primum *secundum ius* agendum est, ut per statuta synodalia ius commune, quo melius fieri potest, ad effectum demandetur atque urgeatur ; deinde, peculiaribus adiunctis consideratis, et statuta confici et poenae, modicae tamen, *praeter ius* adiici possunt ; sed ex adverso nihil potest decerni quod sit *contra ius*, sive commune sive particulare, a superiore potestate (nempe a R. Pontifice vel a Conciliis plenariis aut provincialibus) introductum.

3. *Si Episcopus plures dioeceses* etc. — Dioeceseon unio aut aeque principaliter aut minus principaliter fieri potest (can. 1419 n. 2 et 3). Item dioecesis administratio aut temporaria aut perpetua (cfr. can. 315). Iam vero Administrator ad tempus datus, Synodum dioecesanam cogere non potest (can. 315 § 2 n. 2); dioecesis autem alteri minus principaliter unita, huic subiicitur tanquam accessorium principali (can. 1419 § 3), et ideo quoad Synodum nulla difficultas. Restat dioecesis alteri unita aeque principaliter vel per administrationem perpetuam, de quibus canon : scilicet hisce in casibus Episcopo iure communi facultas fit unam tantum Synodum dioecesanam ex omnibus dioecesibus convocare ; quod sane non excludit quod plures convocare possit.

CAN. 357.

§ 1. *Synodum dioecesanam convocat eique praeest Episcopus, non autem Vicarius generalis sine mandato speciali nec Vicarius Capitularis.*

§ 2. *Celebranda est in ecclesia cathedrali, nisi aliud rationabilis causa suadeat.*

1. *Synodum dioecesanam convocat* etc. — Synodi dioecesanae peculiari natura summatim definita statutoque tempore, quo et ex quibus dioecesibus convocanda est, Legislator agit de iis qui Synodum convocare, ideoque et praeesse, possunt vel non possunt. Potest igitur Synodum convocare Episcopus residentialis, quamvis nondum consecratus (cum Synodi celebratio actus sit merae iurisdictionis) vel etiam Metropolita ante pallii impositionem (cum non agatur de iurisdictione metropolitana et usus pallii minime requiratur: cfr. *Pontif. rom.* tit. *Ordo ad Synodum*), dummodo tamen antea dioecesis canonicam possessionem ceperint ; item omnes, qui Episcopo residentiali quoad iura aequiparantur, veluti Vicarii ac Praefecti Ap. (can. 304 § 2) ; Administratores Ap. permanenter constituti (can. 315) ; Abbates ac Praelati *nullius* (323 § 1) ; denique, nisi aliud caveatur in litteris suae constitutionis, Coadiutores Episcoporum prorsus inhabilium (can. 315 § 2). Contra, convocare non possunt Vicarii capitulares atqui ii, qui ob arctatas facultates iisdem aequiparantur, veluti Administratores Ap. ad tempus dati atque Coadiutores Episcoporum supra non recensiti ; tandem id agere non est in potestate ordinaria Vicariorum generalium.

2. *Celebranda est in ecclesia cathedrali* etc. — Quoad locum, in quo celebranda est Synodus dioecesana, recepta est regula, posse Episcopum non solum in civitate episcopali, sed in quolibet dioecesis loco Synodum convocare : expedire tamen, si nullum impedimentum extiterit, ut semper in ecclesia cathedrali celebretur (S. Congr. Conc. in *Acernen.*, 17 *mart.* 1636; in *Viterbien.*, 14 sept. 1782). Ut igitur ecclesia cathedralis excludi possit, impedimentum seu rationabilis causa, cuius Episcopi est iudicium ferre, requiritur. Quod si agatur de pluribus dioecesibus aeque principaliter unitis et ideo plures sint ecclesiae cathedrales, sola iuris rigiditate inspecta, videtur Episcopus posse in alterutra, quam maluerit, Synodum cogere ; verum *si aequitatis et decentiae*, ut ait S. Congr. Concilii (in *Fabrianen.*, 30 maii 1846), *sit ratio habenda, ad evitandas inter utramque ecclesiam simultates et concordiam fovendam, maxime expedit, ut illam modo in una modo in altera alternatim celebret ; et si alternativam induxerit legitima consuetudo, tenetur Episcopus hanc omnino servare.*

CAN 358.

§ 1. *Ad Synodum vocandi sunt ad eamque venire debent :*

1. *Vicarius Generalis ;*

2. *Canonici ecclesiae cathedralis aut consultores dioecesani ;*

3. *Rector Seminarii dioecesani saltem maioris ;*

4. *Vicarii foranei ;*

5. *Deputatus uniuscuiusque collegialis ecclesiae a Capitulo eiusdem ecclesiae e gremio eligendus ;*

6. *Parochi civitatis in qua Synodus celebratur ;*

7. *Unus saltem parochus ex unoquoque vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant ; parochus autem electus debet pro tempore absentiae vicarium substitutum sibi sufficere ad normam can.* 465 § 4 ;

8. *Abbates de regimine et unus e Superioribus cuiusque religionis clericalis qui in dioecesi commorentur, designatus a Superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi et Superior provincialis interesse ipse maluerit.*

§ 2. *Episcopus, si opportunum iudicaverit, potest ad Synodum vocare alios quoque et etiam omnes canonicos, parochos, Superiores religiosos, imo et singulos suae dioecesis saeculares sacerdotes, iis tamen exceptis qui necessarii sunt ne in paroeciis animarum cura desit ; invitati autem ius suffragii in omnibus habent, perinde ac ceteri, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit.*

1. *Ad Synodum vocandi sunt* etc. — Canon, qui vetus ius, controversiis dubiisque plenum et meris consuetudinibus persaepe innixum, clare definit, comprehendit partes duas, quarum in prima ii recensentur, quos ad Synodum dioecesanam Episcopus (quia scilicet ex iure communi interveniendi ius habent) vocare tenetur ac proinde Synodo interesse debent ; in altera vero ii, qui vocari quidem possunt et, *invitati* si fuerint, et ipsos interesse decet ob reverentiam quae Ordinarii dicto debetur : at non possunt poenis ad interveniendum compelli (cfr. can. 359). — Est igitur in primis vocandus et venire debet Vicarius generalis, si adsit ; quod si, ad normam can. 366 § 3, plures constituti fuerint, omnes vocandi sunt, nisi forte ob rituum diversitatem (ibid.) plures Synodi celebrentur. — Deinde vocandi sunt canonici ecclesiae cathedralis aut, si Capitulo dioecesis careat, consultores dioecesani (cfr. can. 423-428). Quid si agatur de dioecesibus aeque principaliter unitis, quibus plura sint Capitula cathedralia aut consultorum collegia iisdem aeque iuribus praedita ? Sane omnium Capitulorum canonici aut collegiorum consultores et vocandi sunt et interesse debent (cfr. constit. ap. *Quod catholicae*, 5 febr. 1917 ac

Ecclesiae universae, 30 iul. 1921). — Tertio, vocandus est rector Seminarii dioecesani saltem maioris. Scilicet statuit can. 1354, curandum esse, ut in maioribus saltem dioecesibus bina constituantur Seminaria : minus, pro pueris litterarum scientia imbuendis ; maius pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus. Contingere igitur potest, ut in territorio dioecesis aut duo, maius ac minus, Seminaria existant, aut unicum sit ex utroque coalescens. Sed contingere etiam potest, ut nonnisi minus Seminarium dioecesanum existat, maius vero sit interdioecesanum. Iam vero patet, ex canonis contextu, rectori Seminarii minoris ius Synodo interveniendi non competere : nam vocandus esse dicitur rector Seminarii *saltem maioris*, quibus verbis rectoris Seminarii minoris vocatio prudenti arbitrio Episcopi relinquitur. Est igitur vocandus rector unici Seminarii, itemque rector Seminarii maioris, cum duo sunt Seminaria dioecesana. At, ex adverso, non est stricto iure vocandus rector Seminarii minoris, etiamsi maiore Seminario dioecesis careat. Sed quid de rectore Seminarii interdioecesani, quod plurium dioeceseon Seminarii maioris locum tenet, sive Seminarium huiusmodi extra sive intra fines dioecesis reperiatur ? Quamvis Ordinariis regionum, pro quibus Seminaria huiusmodi constituta sunt, *liceat Seminarium* (interdioecesanum) *ut suum habere ; illud cum libuerit adire ; suos invisere clericos* (constit. ap. *Susceptum inde*, 25 mart. 1914, IV), quia tamen et rector Ap. Sedis auctoritate constituitur (ibid. XI), et Seminarium, ob characterem interdioecesanum, pontificia auctoritate regitur per S. Congr. Consistorialem (ibid. II) ideoque rector, qua talis, nullius Episcopi potestati subiicitur, deesse videtur Episcopis ius ad suum cuiusque Synodum eum auctoritative vocandi. Ceterum vero, cum per constitutiones pontificias, quibus Seminaria huiusmodi eriguntur, bono eorum regimini satis superque consulatur (ibid. V-VIII), finis ipse rectorem Seminarii interdioecesani ad Synodos eius regionis vocandi deficere videtur. — Quarto, vocandi sunt Vicarii foranei omnes, sive curam animarum gerant sive minus (cfr. can. 446 § 1). — Quinto, vocandus est deputatus uniuscuiusque collegialis ecclesiae a Capitulo eiusdem ecclesiae e gremio eligendus. A Capitulo eligendus : quare videtur hic legislator loqui de Capitulis collegialibus canonicorum (cfr. can. 391 § 1) stricte sumptis. Hisce igitur Capitulis non-cathedralibus, intra dioecesis fines existentium, ius est et obligatio dignitatem unam (si tamen haec sit de gremio Capituli – cfr. can. 393 § 2) aut unum canonicum per actum capitularem (cfr. can 101) deputandi, qui in Synodo dioecesana personam gerat Capituli collegialis. — Sexto, vocandi sunt parochi omnes eius civitatis, in qua Synodus celebratur. Quod praescriptum, cum praescripto numeri subsequentis comparatum in quo latiore significatione Legislator loquitur de iis *omnibus qui curam animarum habent*, secumferre videtur exclusionem vicariorum paroecialium. — Septimo, vocandus est unus saltem parochus ex unoquoque

vicariatu foraneo. Hic eligendus est, ad normam can. 101, ab omnibus qui intra fines vicariatus actualem curam animarum exercent, sive parochi sint sive vicarii oeconomi (cfr. can. 472) aut adiutores (cfr. can. 475) aut etiam substituti (cfr. can. 474), qui, per modum collegii in casu agentes (cfr. can 101), obligatione tenentur electionem tempestive peragere. — Octavo tandem vocandi sunt Abbates de regimine, nempe Abbates regulares qui actu monasterio legitime praesunt (ideoque excluduntur Abbates mere titulares), atque unus e Superioribus cuiusque religionis clericalis, sive exemptae aut iuris pontificii sive minus, in territorio dioecesis residentibus. Superiorem autem regularem, si plures sint domus in dioecesi existentes, Superior provincialis designare debet, nisi ipse Synodo interesse maluerit: interesse tamen potest tantummodo in casu, quo in domo suae religionis, intra fines dioecesis posita, ordinariam residentiam habeat.

2. *Episcopus, si opportunum* etc. — Veniamus itaque ad alteram partem canonis. Si Episcopus, peculiaribus circumstantiis consideratis, tum praecipue cum in Synodo agendum est de negotiis quae clerum universum respiciunt (cfr. can. 101 § 1 n. 2), veluti de morum reformatione (S. Congr. Conc. *in Vulturarien.*, 19 nov. 1729), opportunum duxerit eos quoque ad Synodum vocare, qui ex iure communi ius interveniendi non habent, decet quidem, ut antea diximus, ita *invitatos* ad Synodum venire, nempe ob reverentiam quae Episcopo invitanti debetur; sed cum invitatio suapte natura strictam obligationem parere non possit, neque potest Episcopus ad interveniendum compellere. Quod si interfuerint, eodem, quo alii, iure suffragii gaudent (cfr. can. 362), nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit, idest, nisi ad Synodum invitet sine iure suffragii: quod sane ius negare potest Episcopus, quia agitur de clericis, ad quos ex iure communi ne ius quidem competit Synodo interveniendi.

CAN. 359.

§ 1. *Iis qui ad Synodum venire debent, si legitimo impedimento detineantur, non licet mittere procuratorem qui eorum nomine Synodo intersit; sed Episcopum de impedimento certiorem faciant.*

§ 2. *Negligentes Episcopus potest iustis poenis compellere et punire, nisi de religiosis exemptis agatur qui parochi non sunt.*

1. *Iis qui ad Synodum* etc. — Si quis eorum, qui ad Synodum venire debent, eorum nempe qui in paragrapho prima praecedentis canonis taxative recensentur, existimet legitimo sese impedimento detineri, non potest mittere procuratorem qui eius nomine Synodo intersit. Procuratores igitur, secus ac in oecumenico, plenario, provinciali Concilio, in Synodo dioecesana non admittuntur: ratio in hoc posita est, quod, cum unicus

sit in Synodo legislator Episcopus, nemini suffragium deliberativum conceditur (cfr. can. 287 § 1). Quare ei qui impedimento detinetur, impedimentum probandum est : alias, vel etiam si Episcopo impedimentum satis probatum non videatur, uti negligens habebitur.

2. *Negligentes Episcopus potest* etc. — Si ii qui, ut supra diximus, Synodo interesse tenentur, negligentes fuerint, Episcopus potest eos poenis, etiam pecuniariis (S. Congr. Conc. in *Balneoregien.*, 24 mart. 1821) et censuris non exclusis (ead. S. Congr. in *Oriolen.*, 27 maii 1632), vel ad veniendum compellere vel inobedientes punire, etiamsi agatur de parochis qui pertinent ad religionem exemptam : hi namque, qua parochi, Ordinarii localis potestati subduntur (cfr. can. 619). In alios Superiores exemptos, qui, vi iuris communis, Synodo interesse debuissent, sed, legitime vocati, eiusdem iuris praescripto non obtemperaverunt, nullimode animadvertere Episcopus potest.

Can. 360.

§ 1. *Episcopus, si id ipsi expedire videatur, opportuno ante Synodum tempore, unam vel plures e clero civitatis et dioecesis « commissiones » nominet, seu coetus virorum qui res in Synodo tractandas parent.*

§ 2. *Ante Synodi sessiones Episcopus omnibus qui convocati sunt et convenerunt, decretorum schema tradendum curet.*

Synodo legitime convocata, idest nemine eorum qui interveniendi ius habent neglecto, ac praesente numero clericorum, ad dioecesim universam moraliter repraesentandam necessario, legitime constituta censetur atque ad validam Episcopus celebrationem procedere potest. Quocirca duo in canone decernuntur : 1) Quod Episcopus possit res in Synodo tractandas parare per commissiones praesinodales, quae, in casu, ex clero universo ad Synodum congregato deligi debent ; 2) Quod semper Episcopus debeat, ante Synodi sessiones, omnibus, qui et vocati sunt et convenerunt, schema decretorum in sessionibus discutiendorum tradere. Haec clara. Ceterum admodum iuvabit praxis Synodorum praeteritarum.

Can. 361.

Propositae quaestiones omnes, praesidente vel per se vel per alium Episcopo, liberae adstantium disceptationi in sessionibus praeparatoriis subiiciantur.

In hoc positus est finis Synodorum dioecesanarum, quod Episcopi rerum peritia cum peritia cleri dioecesani cumuletur, ut inde dioecesis necessitatibus aptiora remedia excogitari possint ; quodque decreta, cleri

ipsius suffragio firmata, facilius possint executioni demandari. Hinc canonis praescriptum de libera disceptatione earum quaestionum, circa quas postea sint in sessionibus sollemnibus decreta promulganda.

CAN. 362.

Unicus est in Synodo legislator Episcopus, ceteris votum tantum consultivum habentibus ; unus ipse subscribit synodalibus constitutionibus ; quae, si in Synodo promulgentur, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.

1. *Unicus est in Synodo* etc. — Pius Pp. VI, per constit. *Auctorem fidei* (28 aug. 1794), reprobavit propositiones IX et X Synodi Pistoriensis (a. 1786) hisce verbis : *Doctrina quae statuit « reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus episcoporum* (prop. IX) » : *falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Aërianae a Calvino innovatae. Item doctrina, qua « parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo iudices fidei, et simul innuitur, indicium in causis fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto* (prop. X) » : *falsa, temeraria ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.* Iudiciis de rebus fidei praetermissis, quae sollemniter pronuntiare unius Concilii oecumenici aut R. Pontificis ex cathedra loquentis proprium est (can. 1323 § 2), unus est in Synodo dioecesana legislator Episcopus : ceteri suffragium tantummodo consultivum habent, quod, quia ab omnibus expetitur, a Capitulo quoque cathedrali implicite semper expetitum censetur. Sunt tamen quaedam, quae Episcopus in Synodo definire non potest, nisi Synodi consensus accesserit. Haec sunt a iure expresse determinata. Ait namque can. 385 § 1 : *In quavis dioecesi habeantur examinatores synodales et parochi consultores qui omnes in Synodo constituantur, propositi ab Episcopo, a Synodo approbati.* Et can. 1574 : *In qualibet dioecesi... presbyteri eligantur... quibus nomen esto iudicum synodalium. Quod ad eorum electionem... servetur praescriptum* can. 385. Hos Episcopi est *proponere*, Synodi *approbare.* Verba, aeque ac modus procedendi, desumpta sunt ex Conc. Tridentino (sess. XXIV, *de reform.*, cap. 18), quod Concilium praeterea addit, eos tantummodo esse proponendos, *qui Synodo satisfaciant* (ibid.). Gaudet igitur Synodus dioecesana, in examinatoribus iudicibusque synodalibus atque parochis consultoribus eligendis, suffragio deliberativo, et hac in re agit per modum collegii ad normam can. 101 § 1 n. 1. Quibus casibus alii

quoque addendi sunt (cfr. ex. c. can. 1532 § 3 et 1541 § 2 n. 1 et 2), in quibus ex iure communi quorundam personarum consensus requiritur, si de iisdem aliquid sit in Synodo statuendum : non enim in Synodo mutat iuridica Episcopi conditio.

2. *Unus ipse subscribit* etc. — Quod unus Episcopus decretis synodalibus subscribat, inde defluit quod unus Episcopus in Synodo dioecesana legislator sit : eius namque est legem sua subsignatione confirmare, qui legem tulit. Possunt vero constitutiones synodales, si clerum tantummodo respiciant, in Synodo ipsa promulgari ; quatenus autem respiciant laicos, qui Synodo interesse non debent, oportet etiam extra Synodum promulgentur iuxta modum ab Episcopo determinandum (can. 335 § 2) : sed, utroque in casu, statim a promulgatione obligare incipiunt, uti semper accidit de legibus episcopalibus, nisi aliud in ipsis expresse caveatur (ibid. et cfr. comm. ad eund. can. n. 2).

348.1
T 64

28701

28701

TOSO, ALBERT

AUTHOR ad Codicem Juris Canonici
Commentaria Minora

TITLE Lib. 2 : De Personis
tome 2

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	DEC 12 1986

28701